Dirige me Dne in via tua, et semitas tuas edoce me. LDP. 1.

HONORI REGGI KEMNATHENSIS DE STATU ECCLESIÆ BRITANNICÆ HODIERNO, LIBER COMMENTARIUS.

Una cum appendice eorum, quæ in Synodo Glasguensi contra Episcopos decreta sunt.



DANTISCI,

ANNO DOMINI CIↃIↃCXLVII.



REVERENDISSIMIS

ECCLESIARUM CHRISTI

IN

SELANDIA

Senioribus & Pastoribus, ob pietatem & Religionis reformatæ purum Zelum clarissimis viris,

S. P. D.

AUTHOR.

REVERENDISSIMI VIRI,

Esse certas Ecclesiarum & Rerumpublicarum periodos, quibus bona malave earum circumagantur, dubitare nemo potest, cui prisca tempora non incognita sunt. Ut de his nunc nihil dicam; quis ignorat, primis tribus seculis, gravissimas de Deo & Trinitate controversias fuisse? Postea, quasi ex ordine, successit Pelagii furor, & loci de Gratia, Libero Arbitrio, Prædestinatione, acerrimis disputationibus agitati sunt. Tum de Imaginibus, tempore Caroli Magni, in utramque partem disceptatum. Ita ut singula suis quibusdam controversiis vexata fuerint secula, dubium majori in publicum bono malove. Nam id sanè consequebantur Ecclesiæ, quod veritas illis insigniter disputationibus illustrata est.

Restituta superiori seculo Euangelii luce, de Pontifice Romano, Traditionibus humanis, Sacramentis, Gratia, Iustificatione disputatum, & omnium quasi controversiarum ac certaminum repetitus orbis est, cum vix ulla priscæ Ecclesiæ hæresis, novo incrustata pigmento, omitteretur. Et tum Germania, Gallia, Britannia,

tannia,

tannia, Dania, Suedia, Polonia, Hungaria, Papatus faucibus ereptæ, Christo vindicatæ sunt, quicquid tandem Imperatores, Reges, & Aventinus ille Cacus, Pontifex Romanus, fremerent ac molirentur.

Inter omnes Orbis Christiani Provincias, nulla graviores mutationum vicissitudines, quàm Britannia sustinuit. Primo cœpta ibi sub HENRICO VIII *aliqua, sed tenuis, Reformatio; quæ tamen merito suo fundamentum totius operis dici potest. Nisi enim magnanimus ille Princeps, primatum Papæ totâ pepulisset Anglia, excisis insuper, sagacissimi Cromwelli consilio, impuris Monachorum vietorum nidis & conventiculis, nunquam ulterior Doctrinæ Reformatio sperari potuisset. Ita quamvis persecutio in Orthodoxos gravis tum esset, nihilominus ipsa Papatus radix evulsa, & duæ templi Dagonis columnæ, ab illo Simsone, ineffabili Ecclesiarumbono, dirutæ sunt.*

Successit alter ille seculi sui Iosias, EDOARDUS, *Orbis miraculum, qui etiamnum puer, majora Pietatis opera quàm ullus longævorum Principum patravit. Sub illo doctrina ab erroribus lutulentissimè, per magnos illos Reformatores, Cranmerum, Ridleium, Knoxum, Hooperum, Martyrem Vermilium, Bucerum, & alios Dei viros, purgata est. Sed hunc fata ostendêre tantum, & mox, immenso Ecclesiarum luctu, sustulêre. Tum fœda iterum tota Britannia barbaries, & Papam illa seculi sui Alecto, cruentis piorum cædibus, reduxit. Nec illa diu superstes, sanguine Martyrum Iesu Christi ebriam animam, ad suos demisit. Inde sub incomparabili* ELISABETHA *iterum quies, & restitutum postliminiò Ecclesiis Euangelium, Papâ in æternum, severitate legum, nisi illas superiores anni refixissent, proscripto. Ad illam, quæ sub Edoardo fuerat, formam omnia revocata sunt; nec ultra in Reformatione, quanquam poscentibus piis, processum.*

Sicut verò illa Edoardiana Reformatio, quoad doctrinam pura fuit: ita ob retentas Cerimonias & Episcopos, non caruit magno vitio. Qui enim sub eo liberi erant ritus, paullatim sub Elisa-

betha,

betha, & omnino Iacobi ac Caroli regno, necessarii esse cœperunt, & in Non-Conformistas, *ut tum vocabantur, atrociter sævitum. Accessit & illud mali, quod sicut vara vibiam trahit, ita ab una ad aliam Cerimoniam veniretur, tanto incremento, ut ultimis illaudati illius Laudi annis, totus ferè Papatus, quoad doctrinam & rituum intolerabiles ineptias, reduceretur. Iam quis Ecclesiæ Britannicæ ante hos octo annos status fuerit, quam exosi Puritanorum capitali nomine, Pii, quæ pro Papa molitiones, qui animorum & bellorum motus, non spectâstis vos tantum in Selandia, sed ingemuistis etiam; nec fraternos affectus vestros ignorat Britannia, vel oblivíscitur. Quicquid furor & malitia Episcoporum, adscitis in consortium Iesuitis, efficere potuit, ut omne impensum. Parùm scilicet pomposi Prælati curabant, Papa an Christus regnaret, dummodo ipsi superbiæ solio fruerentur, & omnia in regno, omnia in Ecclesia soli possent. Quid persecutiones piorum & carceres loquar? Aliquibus vel eo nomine aures abscissæ, quod ludis scenicis, & Papæ contradicerent. Multa millia in exsilium, & alios orbes,*

Extra anni solisque viam —— ——

missa. Denique cuncta sub Episcopis peccata licita, maximè Sabbathi profanatio; piis esse non licuit & puris. Objiciunt: Puritanos esse qui se Reverendis Episcopis opponunt. *Sint ergò contaminati, si puritas, toties à Deo commendata, non placet. Quis major honos quàm Deum puro corde, ut in verbo suo præcepit, cum cura & delectu honorare? Nec invidiam vocabuli curamus, quia pios ita vocant, & bono sensu pro illis accipi potest, quibus nihil cum profana vita, & Papistarum rancidis Cerimoniis, negotii est. Nimirum ne Puritani videamur, erigenda erunt altaria, ad syllabas nominis Jesu, histrionico motu corpus inflectendum, Papa pro Principe Episcopo, Ecclesia Romana pro vera Ecclesia, agnoscenda. Hæc enim propterea invenerunt Episcopi ut se impuros profiterentur, magno scilicet pe-*

riculo, pro Puritanis habitum iri mitratum ordinem, nisi se, præter maculosam vitam, etiam Papatu conspurcaret.

Tertius igitur Reformationis gradus supererat, ad quem mirabili Dei Providentia, primam Scoti viam, anno CIϽ IϽC XXXVII, *Papistica excitati Liturgia straverunt. Unde factum, ut ille orbis Britannici Caledonius angulus, omnium primo ab Episcopis purgaretur. Dein coacto ad Parlamentum in Anglia Rege, totius gentis communi consensu Reformatio ibi suscepta est. Contra eam totus videbatur conjurasse mundus. Bellum civile, horrendum & cruentum, per Papistas & malignos concitatur, impediendæ huic Reformationi. Nam hæc initio causa dissensus princeps fuit. Postmodo aliæ accessêre.*

Quanquam verò Parlamentum multoties de summa rerum periclitaretur, tamen invicta constantia in opere Domini perrexerunt; & Synodus convocata est, quæ Reformationem Consiliis suis ac precibus promoveret. Sed quod in ejusmodi casu fieri solet, turbato undique regno, cum Ecclesia, excussis regimine PseudoEpiscopis, sine rectore, in medio confusionum Oceano fluctuaret, ecce agmina sectarum; & opiniones ipsa novitate, & majoris cujusdam lucis præconio plausibiles, invalescunt. Inprimis tanta contentione de vera ac primæva Ecclesiarum constitutione ac gubernatione, quantùm non alias, inde usque à Christo nato, factum legimus, disputatur, cum alii, quæ & penes vos obtinent, & in omnibus reformatis Ecclesiis, Presbyteria vellent; alii congregationum libertati patrocinarentur. Quanquam revera non libertas, sed servitus ea sit, & schismatum fons ac origo.

De his Ecclesiæ Britannicæ turbis, authores conferre visum est, & quædam per saturam publico exhibere. Idque eo magis, quod nunc, Scotorum gente ad sua pacato agmine, revertente, & debellatis undique hostibus, spes integra sit, etiam finem illi Ecclesiarum dissidio impositum iri. Nec aliis potius, quam vobis, Reverendissimi Ecclesiarum Selandiæ Pastores & Seniores, *opusculum hoc debebatur. Nam præter pietatis, disciplinæ*

& or-

& ordinis laudes, quibus Deus nationem vestram, supra cæteros Belgas beavit, perspecta hoc bello, pro salute Britannorum, vota & desideria sunt, ac multum vobis Angli, etiam Reipubl. causa, debent. Reformationi cœptæ statim sub initia favistis, nec vos inde ulla vis vel calumnia hostium Religionis dimovit; ab aliquibus etiam doctissimo calamo controversiæ transmarinæ illustrantur.

Deus pacis corda Regum & Magistratuum ita regat, ut omissa carnali prudentia, Ecclesiarum unioni & concordiæ seriò invigilent; ac si quid restat ex Papatu retrimenti, id omne tandem aliquando totum expurgent! Deus non tantum in veritate, sed etiam spiritu ac sinceritate coli vult; nec sufficit doctrinam habere defecatam, nisi externæ disciplinæ, amotis omnibus quantumvis pusillis hominum traditionibus, puritas accedat. Pauxillum fermenti totam corrumpit Massam. Amstelodami, Kal. Decembr. anni cIↃ IↃC XLVI.

HONORIUS REGGIUS,
KEMNATHENSIS.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

HAbes hic, *benevole Lector,* brevem de statu Ecclesiæ Britannicæ commentarium. De eo monendus es, quæ causa scripti, & qua fide in eo versatus sim. Causa, sciendi desiderium fuit, quod cum in aliis rebus laudabile est, tum inprimis in sacra materia commendatur. Variis enim de Britanniæ statu ad nos delatis rumoribus, cum communis fama, partium odiis, ut in bello solet, aucta intentaque, nil nisi sectas, schismata, horrendas opiniones jactaret, noscendi avidus, non in Britanniam tantum ob eam causam ivi, verum etiam omnis generis scripta publica de illis controversiis evolvi. Ex quibus, quicquid ad statum Ecclesiæ Britannicæ referri poterat, breviter congessi, ac tandem ope-

ræ

r.e pretium visum fuit, omnia publicare. Quod ne præjudicio damnes, rationes audi. Non ignoro multos fore qui statuant tegi potius vulnera Ecclesiarum deberi, quam aperiri. Quippe adversarios fidei & pacis nostræ, inde occasionem arripere insultandi, & cognitis malis, consilia sua & conspirationes eo callidius provehere. Bona equidem ratio in illis quæ occultari possunt. Sed cum non occultius in Ecclesia Britannica bellum quam in ipso regno, infensis odiis, gestum sit, spectante eventum rei toto orbe; quid illa cautione opus? Innumeri utrimque libelli jam prodierunt, & fama ipsa, ingens sanè malum, omnia in majus auget & deterius. Ut ita consulatur Ecclesiis illis, dum mala ipsarum ingenuè recensentur; damnum certè aliquod inferri ea cura non possit. Exinde patet Ecclesiam nec absque regimine, nec per Episcopatum Constantini Magni, id est civili potestate tantum, à ruina & discidio, conservari posse.

De fide mea id polliceri possum, secutum me authores qui ex professo de statu Ecclesiæ Britannicæ recentissimo scripserunt. Ac quæ de Episcopis referuntur, ea verissima esse Orbis dudum agnovit. In illis quæ Presbyterianos, ut vocantur, & Independentes spectant, fieri potest ut hinc inde, studio partium & affectibus indulgentes Authores, quædam fortasse asperius exaggerent, quæ mitiori sensu accipienda sint. In talibus charitas prævalere debet. Inprimis tamen quæ orthodoxos Independentes spectant, qui semper, nisi iniqui esse velimus, à fanaticis sub eodem tectorio latentibus, secernendi sunt. Nam profecto controversia illa de externo regimine, quanquam ad pacem & conservationem Ecclesiarum in unitate plurimum spectet; tamen in nullum fundamentalem articulum fidei impingit; & qui congregationalem viam terunt, viri piissimi Christum suis exsiliis ac passionibus, constanter contra furorem Episcoporum tutati sunt. Papam quidem adeò exsecrantur, ut ne pilum quidem ejus in Britannia ferre velint. Fateor eos graviter nimio zelo & contentionis studio impegisse. Sed quis & alteram partem ab omni errore & lapsu vindicet? Fieri solet in ejusmodi controversiis fratrum, ut

Iliacos intra muros peccetur, & extra.

Jam quoniam de Episcopis, velut obiter, quædam præmissa sunt, non omittenda duxi quæ circa motuum in Scotia fervorem, & Synodo Glasguensi, contra eos acta & decreta sunt. Exstat scriptum quoddam Roberti Baillii Kilvvinnensis tum Pastoris, jam vero delegati ad Synodum Westmonasteriensem, quod Αὐτοκατάκρισις *Laudensium* vocatur, cujus breve compendium heic inseritur.

Quod factio illa, cujus caput est Archiepiscopus Cantuariensis Guilh. Laud, rea sit aperti Papismi, Arminianismi, & tyrannidis tam Ecclesiasticæ quàm Politicæ, hoc probatur ex variis libris qui vel habent Cantuariensem ipsum authorem, vel manifestum fautorem, & censura Capellani sui approbatorem, quam præstare tenetur; & quam probare, multa sunt quæ persuadeant; ut sunt: librorum illorum aperta defensio, auctorum non solum ab omni censura immunitas, verum etiam ad primarias dignitates evectio, scriptorum adversariorum suppressio, & graves pœnæ in authores qui contra hiscere audent, statutæ. Syllogismo unico totum illum tractatum comprehendit author, qui sic se habet: Quicunque subditorum regis, publice promovent aut spargunt dogmata religioni reformatæ, legibus regni Angliæ sancitæ, & legitimæ subdito-

ditorum libertati adversantia, non solum non sunt fovendi, sed in eos severe est animadvertendum: nam introductione novationum seu per armatam violentiam, seu per artes versutas, præsentis reipubl. status pertæsi, omnium turbarum & tumultuum qui novationes illas consequuntur, authores habendi sunt; nam quod est causa causæ, est etiam causa causati: & ne quis putet mutationes illas regi sereniss. asscribendas esse: publicis edictis (ut illo de dissolutione Comitior. Anglic. anno 1628 & Junii 8. 1638. Septemb. 22. & Decemb. 18. ejusdem anni 1638.) *omnibus suis subditis persuasissimum esse jubet, se nunquam consensurum in quamlibet religionis & receptorum dogmatum mutationem:* & re ipsa ostendit, quando Septemb. 22. 1638. imperavit suo nomine renovari & obsignari confessionem ecclesiæ Scoticæ: qua singula Papismi membra abjurantur. Sed Cantuariensis cum sua factione spargunt aperte & promovent dogmata adversantia religioni reformatæ, pro-ut regni Angliæ legibus sancita fuit; atque hujus probationem per tria generalia capita persequitur author: quæ sunt Arminianismus, Papismus, & Tyrannis.

De Arminianismo quid judicaverit beatæ memoriæ rex Jacobus 6. in declaratione contra Vorstium aperte testatur: ubi pag. 18. *detestandas hæreses, mature exstinguendas & ad inferos usque, unde manarunt relegandas esse dicit: Bertiumque asserentem, opinionem de Apostasia sanctorum non dissentire à professione ecclesiæ Anglicanæ, mendacem,* pag. 15. *gnaviter impudentem & ferrei oris*, p. 12. vocat: *& Arminium* pag. 14. *Deo inimicum, ejusque discipulos pestes, arrogantes, hæreticos, ἀθέους, sectarios: quorum heterodoxias qui pacis gratia tolerandas judicarent, à Deo maledictionem, apud ecclesias omnes infamiam, & in republ. perpetuam distractionem procurare.* pag. 15. Cujus opinionis ut & regnorum hæredem esse orthodoxum Carolum, contra maledicos susurros edicta recentia satis demonstrant. Arminianismum porro strenue promoveri à Cantuariensi & factione illa, probat, tum indirecte, quia hujus fautores nullo fere alio nomine celebres, neglectis orthodoxis singulari ejus commendatione regi sereniss. obtrusi, ad dignitates ecclesiasticas promoventur. v.g. in Scotia *Maxwellus* ad episcopatum Rossensem, *Forbesius* ad Edinburgenum, *Sydserfius* ad Brechinensem, & inde ad Gallovidianum, *Wedderburnus* ad Dumblanensem: ut de Anglia & Hibernia in quibus major est ejus authoritas, taceam: quia in heterodoxias hujus manifeste reos non animadvertit, severus alias in eos, quos cærimoniis ab hominibus inventis (ut nihil durius dicatur) non satis æquos judicat, ita ut pastorum verbi ingentia agmina in orbem alio sub sole calentem cum familiis protrudat: quia celebres illas quæstiones de prædestinatione cum annexis, meras logomachias, & inutilem verborum contentionem de rebus nullius fere momenti habet, in fusiori declarat. pag. 74. *Quia synodum nationalem Glasguensem inter alia, & ob hoc suggillat, quod ausa sit pastores ob publicam eorum dogmatum defensionem, & in iisdem pertinaciam deponere.* pag. 16. Dein ad directam probationem descendit, & ordine per universos quinque articulos. Primum & secundum aperte in libro *Appello Cæsarem* approbato censura *D. Whyti*, postea Eliensis episcopi, tuetur *Montacutius*, licet fermento papistico turgens, singulari tamen Cantuariensis commendatione ad *Norwvicensem* episcopatum promotus: qui pag. 60. *Doctrinam in synodo Dordracena de prædestinatione repetitam, desperatam vo-*

cat : Idem Montacutius in tertio & quarto ibid. pag. 89. disertis verbis Arminianis se jungit : & pag. 95. *inter meliora nota Pontificios , & opinionem* quam *ecclesiæ Anglicanæ* affingit *de libero arbitrio, nullum esse dicit alicujus momenti differentiam.* Apostasiam sanctorum idem Montacutius ex professo ibid. tuetur : & *Chonæus* in collectionibus Theologicis Cantuariensi dedicatis & sæpius recusis, fidei plerophoriam irridet. pag. 82. & alibi. Sed longa disquisitione hic non est opus ; nam reos habemus confitentes, idque aperte.

Papismum fovere, hæc (inquit) probant , quia omnia factionis hujus consilia tendunt ad henosin inter Papismum & reformatam religionem , sed conditionibus usque adeo iniquis,ut reformatis statio sua sit deserenda, ac schismatis & errorum venia petenda : aperte quidem postremum hoc nondum audent propalare ; ex sequentibus tamen satis patebit , & luce meridiana clarius demonstrabitur,hæc à petulanti convicio aut mendaci calumnia (quam nos ipsis inurere , de nobis conqueri possent) quam longissime abesse.

Etenim , quia nullam hujus unionis spem concipere potuerunt , quamdiu Reformatis persuasum esset , Pontificem Romanum esse Antichristum,ideo omnes ingenii & industriæ nervos intendunt , in id summo studio incumbentes, omnemque lapidem moventes, ut eundem ab hac infamia liberent,prout non ita pridem Shelfoordus peculiari tractatu de Antichristo aggressus est ; & inter alia hanc habet sententiam, *Papam non magis posse dici Antichristum, quam Lutherus aut Calvinus* , quos blasphemiæ & hæreseos , os impudens ibidem accusat ; argumenta vero reformatorum doctorum , quibus contrarium manifestò demonstrant , & rationes firmissimas , quibus primorum reformatorum facta & scripta à calumniis vindicant , eorumque doctrinam stabiliunt , *deliramenta & apocalypticas phreneses* , vocat Montacutius in Appello Cæsar. perstringens proculdubio oblique nervosissima argumenta Jacobi regis, in epistola illa monitoria vere aurea : & ne ullum omnino restaret vestigium Antichristianismi Papæ , Cantuariensis ipse (ut fatetur in oratione habita in Camera Stellata. pag. 32) propria sua manu delevit ex liturgia Anglica, vocem *sectæ Antichristianæ* junctam Romanæ : ejusque loco *Babylonicæ* substituit, *ne scil. Pontificiis scandalo esset.*

De Pontifice Romano honorifice loquuntur : & *ecclesiam Romanam sedem Petri , cui potentior principatus super omnes tribuendus est*, Cantuariensis in relatione colloquii cum Jesuita nuper impressa & aucta. pag. 183. & 154. & 133. Montacutius in antidiatribâ pag. 51. & 116. *in hac sede summi pontificatus apicem , & fontem sacerdotii esse.* idem ibid. p. 158. *à quo nisi successionem suam derivare posset præsens Archiepiscopus Cantuariensis , quam misera esset ipsius conditio* , inquit Poklingtonus, in altari Christiano, p. 50. *& nisi successionem hanc ab ipsa sede Petri aut alterius Apostoli ostendere posset, non audiendus* esset. Poklingtonus in libro, cui titulus ; Dies dominica non est habenda pro sabbatho : *Atque hoc* (inquit idem ibid.) *est quod inter alia, episcopali jurisdictioni nosmet submittere facit. Puritanismus* est , inquit Montacutius Origin. p. 417. *denegare titulum sanctitatis suæ Pontifici Romano, etiamsi fuerit prodigium & propudium honestatis, & eundem aut similes titulos reprehendere , est phrenesis hominum solummodo fanaticorum . Pio & prudenti zelo Imperatores quidam de equis descendentes venerationem iisdem Pontificibus exhibuerunt.* Montacutius in antidiat. p. 40.

imo

imo *eosdem adorarunt.* ibid. pag. 158. *ut ὑπερπερίσσως Christi, ut Dei & hominum μεσίτης singularis illis debetur honor.* ibid. pag. 166. *Principatu, dominiis, facultatibus & omni quicquid nomine possessionum Petri venit, fruatur, utatur: modo alienam possessionem non invadat.* ibid. pag. 95. *Potestatem Pontificis, in Galliis & Hispania regibus perutilem esse.* Cantuariensis in relat. pag. 202. *Si rex Angliæ subditis suis imperaret, ne quid ecclesiastici negotii in regnis suis sine Papæ authoritate decernerent, & ut quicquid sanxit, sanxeritve legis Apostolicæ authoritas, id legis loco sit, tenentur omnes obedire.* ibid. Montac. pag. 156.

De Cardinalatu & Cardinalibus, licet commento Patribus ignoto, honorifice sentit Montacut. in appar. pag. 56, & 57. Sibi plaudit, *quod Cardinalem Baronium, virum in eminentissima dignitate constitutum, quam non solum eruditione, verumetiam singulari sanctitate & tantum non ascetica, merito quidem suo esset adeptus: nusquam nisi honorificentissime compellarit.* & Poklingtonus in altar. pag. 34. *Barromaum summis laudibus effert, ob jejunia, preces, charitatis opera, pietatem exemplarem, qui vanitatem omnem tam in verbis quam factis aspernaretur, episcopum vocat pium, & acriter perstringit adversarium contra sentientem:* Itaque Poklingtono idolorum cultus, quibus impense deditus fuit hic Cardinalis, nulla est vanitas: & crudeliter sævire in ecclesiam Dei & sponsam Christi, pietatis nomen apud eum mereretur, non verò tyrannidis.

Quum animo tam amico ferantur in caput, & humeros hujus monstrosi corporis, non dubitandum, quin reliquum corpus honore affecturi sunt: ideoque *eandem esse* (*asserunt*) *Pontificiorum & Reformatorum religionem; neque periculo vacare, si quis asserat* (uti semper asseruit Anglicanæ ecclesiæ liturgia, regnante Jacobo rege) *Pontificiam religionem esse rebellionem.* Cantuar. in relatione colloquii. pag. 36. & in oratione in Camera Stellata pag. 36. *Protestantium ecclesiam non fecisse secessionem ab ecclesia Romana, in qua adhuc sint omnia ad salutem necessaria, & quæ adhuc omnia habeat quæ ad ecclesiæ essentiam necessario requiruntur.* Potterus in vindicatione charitatis ecclesiæ reformatæ. pag. 66. *& si qui longius processerint, & acrius perstrinxerint illam ecclesiam; zelotas esse prudentia & charitate destitutos.* idem pag. 74. Hinc reformationis opus per Lutherum *deplorandum schisma* vocat Cantuariensis. *Controversias in quibus à se invicem hæ ecclesiæ differunt, tales non esse quæ alterutrius partis salutem impedire possint, cum non sint fundamentales.* Heilens. in responso contra Burton. pag. 124. *& licet pontificiæ ecclesiæ errores essent fundamentales, eam tamen esse aliarum quas tuetur fundamentalium veritatum efficaciam, ut instar antidoti, admixta errorum venena hebetent.* Josephus Hallus Exoniens. episcopus in veteri religione prope initium, & Butterfeildius in ejus vindiciis. *Qui profitentur se Iesum Christum diligere, licet in fundamentalibus errent, fratres tamen orthodoxis esse, & salvari posse.* Potterus. Ubi supra pag. 109. & ne quis existimaret hæc dici de iis solum qui in ecclesia Romana vixerunt ante reformationem, extendit idem Potterus *ad hodierna tempora, & nunc bene sperandum de omnibus, qui simplicitate cordis seducti, Romanam fidem profitentur, in ejusque professione moriuntur*, pag. 77: Non sine insigni injuria Pontificios accusari idololatriæ hæreseos, aut schismatis: Idololatriæ, *cum cultum λατρείας creaturis non tribuant*, Shelfoordus,

dus. pag. 300. Montacut. in apparat. pag. 79. & in Originib. 309. quo factum est, ut Cantuariensis ex liturgia jejunii recepta, expungi curaverit vocem *idololatriæ*, *qua submersi jacuisse dicebantur majores nostri in ecclesia Romana.* Dovvus in respons. contra Burtonum, pag. 142. hæreseos injuste accusari, *cum non peccent in defectu*, *sed excessu.* Potterus, pag. 102. Sic & schismatis, *cum per omnia Romanam fidem integerrime profiteantur*, Montacut. in appar. 283. *à schismate liberos esse & hæresi coram Deo, quia errores, si quos fovent, ipsi non invenerunt, neque primi excogitarunt.* Cantuarienf. relat. colloq. pag. 316. Schismaticos potius habendos, *Scaligerum, Pareum, & alios opinatores, qui contemto spretoque majorum consensu, phreneticas suas observationes obtrudunt.* Montacut. in appar. pag. 389. *Itaque nihil impedire quin in unam coëant ecclesiam Papistæ & Protestantes, nisi insana intemperies furiosorum quorundam zelotarum obstaret* (Jesuitæ videlicet & Puritani) *qui pharisaica sua instituta in Christianismum retulerunt*, quorum utrosque Montacut. in apparat. pag. 245. *pietatis* vocat *carcinomata*, *Christianismi dehonestamenta, pacis & concordiæ alastoras & pernicies.* Quam miris contra elogiis ornat idem ibid. pag. 45. Cassandrum *ipsissimam probitatis & modestiæ animam:* dolet tam male *ab importuno censore Calvino* exceptum: Summà, quicunque Samaritanismum istum fovent, quam cupide eorum scripta complectuntur, & in cœlum laudibus efferunt; contra verò quam contemtim loquuntur & contumeliose exagitant exteras reformatas ecclesias, earumque celeberrimos, & de Ecclesia Jesu Christi optimè meritos orthodoxos doctores seu vivos, seu mortuos, eosque præsertim qui elaboratissimis suis scriptis iis larvam detrahere, & ipsorum petulantiam retundere ausi fuerunt, inter quos sunt insignia illa nostri seculi lumina & ornamenta *D. Rivetus* & *Voetius*, quod ille Calvinum à virulentis Lanceloti Andreæ morsibus vindicaverit, hic vero Montacutium δοχησίσοφον ad partes modeste vocaverit, nec passus hominem fastu turgidum ecclesias reformatas impune conculcasse: Clariss. *Vedelium* quam indignis modis tractaverint, referre piget.

Et ne quis putet hæc inconsiderantibus excidisse, age (inquit author) exquiratur, quo modo iis arrideant quæ in pontificiis, protestantes omnes, maxime qui reformati dicuntur, inprimis exagitant: in quatuor specimen exhibet, videlicet, Idololatria, hæresibus, superstitionibus, & abominando Missæ idolo.

Multiplex est Romanæ ecclesiæ idololatria, sed nullibi magis exserte se præbet omnibus conspicuam quam in adoratione altarium, panis sacramentalis seu hostiæ, imaginum, reliquiarum, & sanctorum defunctorum. *Altari porro reverentiam exhibendam*, docet Cantuariensis, in orat. in Camera Stellat. & ex Psalmo profert locum, Venite, adoremus, procumbamus coram Domino & altari ejus. pag. 49. & ne quis dubitaret aliam esse προσκύνησιν à Pontificia, in adorationis hujus subsidium allegat Poklingtonus in altar. pag. 160. *praxin nobiliss. Equitum S. Georgii in ipsis papismi crassissimis tenebris;* & additur ratio, ab Heilens. in respons. contra Burtonum. pag. 30. *propter personalem Dei in altari præsentiam, qui ibi tanquam in solio residet*, inquit Poklingtonus in altar. pag. 143. Hancque etiam προσκύνησιν urgent, cum non celebratur S. Cœna: quotidiana praxis illud testatur.

Adorationem elementorum eucharisti-

risticorum, non solum in actu communicandi, verumetiam extra eundem urgent; hinc, *presbytero vel sacerdoti genuflectendum quater, quum patinam & calicem tollit & deponit*, & adorationem hanc ad elementa ipsa dirigi, facile probabitur: nam si adorandum sit altare propter propinquam illam cum Christo communionem, ut differunt, multo magis elementa eucharistica, quia unio hic arctior est, magisque perspicua. Notandum etiam Cantuariensem non tulisse, elementorum illam adorationem vocari Pontificiam: nam cum præsules Scoti cap.6. Canonum ecclesiasticorum, in exemplari eorundem ad regem misso, adorationem illam vocassent pontificiam, in exemplari ab aula remisso Cantuariensis manu sua in margine notat, *delendam esse vocem Pontificiam.*

De imaginibus honorifice loquuntur: *earum eversores*, Montacut. orig. pag. 162. vocat, *furiosos iconoclastas, religiosos scil. nebulones: Contumelias illis illatas, in archetypum, id est, Christum & sanctos transire, & si quis* (inquit idem antidiab. pag. 28.) *sancti alicujus imaginem dedecore afficiat, illum ὑγιαίνειν optaverim, & sua temeritatis pœnas dare.* Nolunt inter iconomachos censeri, & ideo *summa cura in templorum cryptis, larariis, parietibus & fenestris, frequentissimas imagines asservant*, Montacut. antidiat. pag. 24. & situ ac squalore rancidas exornavit Couzius præbendarius Dunelmensis: *Has externam pulcritudinem ecclesiis afferre, & libros esse Laicorum asserit* Montacutius, Antigage, pag. 300. *Controversiam inter Pontificios & Protestantes esse σκιομαχίαν.* Idem in Antid. pag. 40.

De reliquiis audiatur Montacutius, antidiatr. pag. 17. *Ego certe* (inquit) *cum Constantino, reliquias illas fasciis involvam, auro includam circumgestandas, admovebo labiis, ac colle suspensas manibus oculisque crebro usurpatas intuebor, vel in apothecas condam & recludam inter preciosissima cimelia censendas.* Veneratione relativa exemplo veteris Ecclesiæ colendas esse dicit idem, ibid. pag. 16. *Neque peregrinationem religiosam ad loca sancta improbandam esse*, ibid. pag. 44. *Item denique omnem de reliquiis inter partes hodie, esse de lana caprina, & asini umbra.* idem, in Origin. pag. 45.

De sanctorum demortuorum adoratione, docent; *Sanctos esse orationis & intercessionis mediatores apud Deum.* Montacut. antidiat. pag. 20. ideoque *sanctorum festa à se celebrari, ut eorundem intercessionis participes esse possint.* Lancelotus Andreas in stricturis, opere posthumo, cura & censura Cantuariensis excuso, pag. 8. *Immerito idololatriæ aut superstitionis taxari, si quis oraverit; Sancte angele custos, ora pro me.* Montacut. De invocat. sanct. pag. 99. Inter omnes vero sanctos demortuos, nullus est quem Pontificii impensius venerentur beata Virgine Maria. & hujus cultum promovere conatus est Antonius Staffordus, peculiari libello Londini impresso, cui titulus; Feminei sexus gloria, defenso ab Heilens & Dovvo, in scriptis publicis & approbatis. Ubi asserit, *immunem fuisse ab omni peccato.* pag. 8. *reginarum reginam, filiam, matrem, & sponsam Dei.* in præfat. *illius miraculosam in cœlum assumtionem veritatem esse infallibilem.* pag. 210. *quam meritis suis acquisiverat.* pag. 21. & 80. *Coram ea justorum animas procumbere.* ibid. in panegyrico. *ipsi terrena omnia cognita esse ex speculo Trinitatis.* ibid. *Puritanismum esse, si quis renuat in ejus honorem salutationem Angelicam repetere.* pagin. 220. & *nisi boni simus Mariani, malos*

esse Christianos. ibid. *Pietatem monachorum, monialium, & magnatum ac principum, qui sodalitio Mariæ nomina sua asscribunt, laudandam esse & imitandam.* pag. 23. Hæc, imo omnia quæ hoc libro continentur, defendunt Heliens. in respons. contra Burton. p. 123. & Dovvus contra eundem, pagin. 54. utriusque vero auctoris scripta à Cantuariensi recensita & approbata prostant. Eandem pæne semitam terit Montacutius: *Aliter Mariam in mundum ex utere materno processisse, quam aliæ mulieres.* in apparat. p. 301. *vixisse immunem ab actuali peccato.* ibid. pagin. 338. *Omnium creaturarum esse dominam.* pag. 321. *Majorem mundum Deum potuisse facere, majus etiam cœlum; majorem autem matrem, quam est Mater Dei, Deum facere non posse.* ex Bonaventura citat & probat, pag. 302. & recte Thomam dicere, *Beatam virginem ex hoc quod est mater Dei, quandam habere dignitatem infinitam.* ibid. Atque hæc de idololatria.

Proximum est de hæresibus dicendum, quas junctis manibus in Pontificiis acerrime exagitant Reformati omnes: has tamen vel extenuant, vel amplectuntur factionis hujus primipili.

Nam contra SS. scripturæ perfectionem urgent *traditiones dogmaticas*, non de ritibus, sed de doctrina ipsa, & harum numero asscribunt *baptismum infantium, diei dominicæ sanctificationem; traditionem poculi eucharistici Laicis; orationes in linguis populo cognitis, & cæt.* Whitus, episcopus Eliensis, de sabbatho, pagin. 97. Montacut. in origin. 396. Ex penu hoc locupletissimo depromta sunt illa omnia quæ in visitationibus rigide urgent, videl. *Iurisdictio Episcoporum supra presbyteros, prostratio & genuflexio coram altari, oratio ad orientem, signum crucis in baptismo, formatio crucis in aëre, ejusdem super altare positio*, & sexcenta alia ejusmodi. Heilens. antidot. Lincolniens. pag. 87. Samuel Hoardus in concione quam habuit in visitatione metropolitana. pag. 15. & *hisce omnibus authoritatem scriptæ legis vendicant*, Whitus de sabbatho. *Denique in eo solum scripturæ sensu acquiescendum, qui traditionis & consensus patrum authoritatem habet:* Chounæus in collectionibus Theologicis, Cantuariensi dicatis, neque unquam adhuc improbatis. pag. 31. Poklington. altar. pag. 129. & Cantuariensis ipse in relat. colloq. pag. 62. *Verbum divinum aliud est scriptum, aliud non scriptum.* & ibid. p. 84. *Candela scripturæ non est prius lux, quam accensa fuerit per admotionem luminis ecclesiasticæ traditionis*, & ibid. pag. 114. *Lumen scripturæ per se non est clarum satis, nec potest locuples testimonium sibi ipsi perhibere.* & p. 104. *Quando Patres dicunt se inniti scripturæ, non excludunt traditionem.* & ibid. *quia scriptura est recondita & obscura, & potest in diversos sensus trahi, nemo propriis viribus absque ecclesia fidat.* An hoc non est S. Script. cum pontificiis judicis & normæ absolutæ authoritate spoliare, & traditiones ecclesiæ (per quam intelligit pontificiam) non solum æquare, sed & supra scriptum Dei verbum extollere?

De vita monastica docent, *Eversionem monasteriorum per Henricum* VIII *Angliæ regem sacrilegam fuisse ἱεροσυλίαν, facinus flagitiosum.* Montacut. in originib. 303. & 384. *cum vita hac originem suam repetat ab Elia, Eliseo, Iohanne Baptista.* Idem, ibid. p. 369. & 370. *& strictas regulas ab Euangelista Marco.* Wats in concione de Apostolica mortificatione, pag. 20. *quos si voluntarii cultus aut superstitionis coarrgueris, eadem opera sanctos instituti illius authores, Eliam, Eliseum, Danielem,*

lem, Marcum accusabis ejusdem criminis. idem pag. 28. *Hodiernos Carthusianos, Franciscanos, & ceteram istam monachorum fæcem, pios & bonos ac religiosos esse, etiam ratione ordinis sui.* Staffordus in feminina gloria, p.236. *Virginem Mariam monialem vixisse.* idem pag. 22. *Processiones discalceatas per urbium compita, monachorum horas canonicas, vigilias, nocturnas ad templa peregrinationes, & similia, nulla ratione reprehendendas esse*, dicit Wats, ubi supra.

De limbo Patrum, & orationibus pro defunctis, sic Montacutius in apparat. pag. 476. *Sanctos ante Christum defunctos cœlo non receptos fuisse; sed inferno inclusos, unde à Christi descensu ad inferos liberabantur*, & in hujus confirmationem locum illum 1.Pet. 3. 19. contra Puritanos adducit, idem in origin. pag. 286. Imo, *pium est credere Christum, dum dicitur infernum spoliasse, paganos virtutis commendatione ornatos inde liberasse, ut sunt, Socrates, Aristoteles, Hercules, Epaminondas, Plutarchus*, & similes, inquit, Maxvvallus in demonstratione, pag. 9. *Atque licet scriptura mentionem tantum faciat duorum locorum post mortem, neque ullum sit in scriptura indicium alicujus loci tertii; non tamen inde sequi non esse tertium, quia multa sunt quæ non indicantur in scripturis.* Montacut. in apparat. pag. 135. *Oblationes & preces pro demortuis*, in pontificiis non solum non damnant, verumetiam *authoritatibus Patrum confirmant.* Lancel. Andreæ strictur. p.56. Poklingt. altar. pag. 83. *Et omnes veteres liturgias in causa hujus subsidium advocat* Dovvus. pag. 56. De sacramentis, in hisce cum Pontificiis consentiunt, quod *sacramentorum veteris testamenti vim diminuant, & mera fuisse signa gratiæ.* Montacutius in originib. pag. 72. *quod cum synodo Tridentina anathema dicant iis, qui dixerint Iohannis baptismum eandem vim habuisse cum baptimo Christi: Quod contraria sententia Calvini, sit privati hominis παραληρημα.* Idem, ibid. pagina 390. *Quod omnes omnino infantes baptizati in baptismo vere regenerentur, justificentur, sanctificentur: neque ullatenus dubitandum de eorum salute, si ante commissa actualia peccata ex vivis excesserint.* Montacut. in Appello Cæsarem. pagina 35. Whitus Eliensis episcop. contra Dialog. pag. 95. Licet idem ante ademtum episcopatum dogma hoc, ut pontificium, rejecerit, in colloquio cum Jesuita Fischero. p.176. *Quod baptismum simpliciter necessarium ad salutem*, non solum ratione præcepti, sed ratione medii, *allato in hinc finem loco ex Iohannis Euangelio cap. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit, & cæt.* Cantuariensis in relatione Colloquii cum Jesuita. pag. 56. *Expositiones vero reformatorum doctorum contrarias, meras esse elusiones excogitatas in contemtum Dei & dispendium animarum*, dicit Montacut. in origin. p.397. *Quod cerimoniæ ab hominibus inventæ & baptismo superadditæ, (ut vestis alba, oleum, lac, sal, chrisma,) baptismi sint ornamenta, & exercitia, quibus mens externarum rerum sensu & significatione ad divinum cultum, ipsumque Deum attrahitur) retineri debeant; & ubi abrogantur, denuo restituendæ.* Montacut. in antidiatr. pag. 15. & 16. *Quod tota illa disputatio inter partes de quinque illis* (spuriis, ut reformati vocant) *sacramentis, sit λογομαχία.* Andreæ Wintoniens. episcopi strictur. pagina 11. *Quod Confirmatio per episcopos, plenos & perfectos faciat Christianos.* Poklingtonus in Altar. pag. 65. *Quod nullius momenti sit quæstio de ordinum sacrorum numero, & quod penuria ecle-*

clesiarum factum sit, quod in reformatis ecclesiis omnes isti ordines non vigeant. Andreæ strictur. pagin. 12. *Quod jure divino Episcopis, usque solis, competat pastorum ordinatio, ita ut à nemine non episcopo ordinato & rite consecrato possit adhiberi; & irrita sit omnis ordinatio & missio, quæ à non legitimo & Canonico more non proficiscitur. Quod, si à se oriantur aliqui, & non missi ingerant cœlesti huic functioni manus* (intelligit hic earum ecclesiarum pastores à quibus Episcopatus exsulat) *viderint ipsi quid sint responsuri olim summo sacerdoti, cujus partes usurpant; nos nostras, non aliorum tuemur vocationes.* Inquit Montacutius, in antidiatr. pag. 138. *Causas matrimoniales per jus Canonicum pontificiorum dijudicari volunt: cujus juris originem repetunt à primorum Paparum decretis; quare ubique urgent Canones Apostolicos, Clementis constitutiones, & similia scripta supposititia*, Poklingt. & Heilens de altar. passim. Montacut. ubique: & *huic juri Canonico, Basileensis concilii decreta asscribunt*, Ut Staffordus in gloria feminei sexus. pag. 128. *Profesto visitationis Mariæ*, concilium illud citat: Proh quam verum est illud! Qui modestiæ limites semel transsilierit, eum gnaviter impudentem esse oportet. De sacramento pœnitentiæ docent, *auricularem illam confessionem plurimas præstare utilitates, ideóque pie frequentandam ab iis qui ad eucharistiam accedunt.* Whitus Eliensis episcop. in præfatione de sabbatho: *& dolendum esse quod aboleatur*, Sprint. in concione de Confess. p. 18. typis excusa cum approbatione. *Neque ulla peccata celanda esse si sacerdotalem absolutionem exspectemus, in qua exercenda sedent sacerdotes ut judices delegati à Deo: Confessionem hanc privatam sacerdoti factam unicum esse medium obtinendi peccatorum remissionem.* Idem pag. 16. & 19. & 15. diserte & totidem verbis. *Præter privatos confessores, consultum esset ut in singulis ecclesiis revocaretur usus ille publici pœnitentiarii (qui olim in usu apud veteres) qui initio quadragesimæ in die Cinerum, in reclinatorio residens, omnium confessiones audiret, & singulis, cinere capita primum respersis, pœnitentiam in quadragesima præstandam præscriberet; & plenarie satisfacientes exeunte quadragesima ante paschatis festum absolveret, hæc* (inquit Poklingtonus in altar. pag. 57.) *est illa sancta disciplina, quam restitutam cupit liturgia*: Atque *hac pœnitentia vere satisfieri Deo pro peccatis commissionis: ut oratione pro omissionis*, inquit Shelfordus. p. 125. & 129. *De extrema unctione nullam fore controversiam cum Pontificiis, utantur pro-ut velint, modo ne in censum sacramentorum euangelicorum asscribant*: Montacut. in Antigag. pag. 267.

De fide, justificatione, legis impletione, & merito, docent. *Fidem nudum tantum esse assensum, nullam requirere applicationem, nullam fiduciam personalem; eamque personalem applicationem esse meram præsumtionem, & cerebri non satis sani figmentum.* Shelfordus p. 36. *Optimum medium apprehendendi Christum, esse charitatem.* Ibidem p. 106. *Iustificationem quidem ab Apostolo attribui fidei, sed illud intelligendum esse Inchoative tantum.* Chounæus in collect. theolog. pag. 69. *Charitatem esse fidei formam: & per eam primario coram Deo justificari homines*, Shelfordus, pag. 102, & 106. quod hoc apodictico scilic. syllogismo monstrum illud theologi confirmat, *Deus justificat: at Deus est charitas. E. charitas justificat*: vah! quanta caligine occæcatos oportuit fuisse eorum oculos; quos non puduit impurum & futilem

tilem hunc libellum, in ipsis Academicorum comitiorum solennitatibus onerare tam splendidis profundæ & raræ eruditionis elogiis; an quos per calumniam Solifidianos vocant, tam obesæ naris homines putant isti novatores, ut insulsis ejusmodi nugis scutica aut ferula castigandis; de controversiæ statu se moveri permitterent? Sed me contineo. Docent etiam, *Iustificationem peccatoris coram Deo, nihil aliud esse quam conversionem & sanctificationem per justitiam inhærentem.* Idem Shelfordus p.107. Montacut. in Antig. p.142. *Legem Dei non solum posse, verumetiam in hac vita facile impleri:* Shelfordus. pag.121. *Deumque si præstitu impossibilia imperasset, injustum fere & tyrannum.* idem pag.136. Whitus de sabbatho, pag.157. *Extremam blasphemiam esse, si quis dixerit in optimis sanctorum actionibus esse admixtum aliquid peccati.* Shelf. pag.147. *A quibusdam non solum perfecte in hac vita impleri legem; verum quosdam supererogare, præstando Consilia illa,* (quæ vocant) *perfectionis, castitatis, paupertatis, & obedientiæ.* idem pag.184. *Bona opera vere & proprie esse meritoria æternæ vitæ.* idem passim ubi supra. *Idque ex condigno.* Montacut. Appello Cæsar. & in antigag. pag.153. *esse veras efficientes causas salutis, uti mala opera sunt damnationis.* Chounæus in collect. Theolog. pag.18. Et quod multo maximè admirandum venit, licet ejusmodi scripta ab orthodoxis pro tribunali exagitata sint, nondum tamen à Cantuariensi obtineri potuit, ut heterodoxias istas sibi displicere significaret, quin contra per hyperaspitas suos Heilens & Dovvum, authores eorumque hæc dogmata defendit. Atque hæc de erroribus & hæresibus Pontificiis à factione hac resorptis: si cui animus sit eorum scripta legere, primo intuitu perspiciet iisdem argumentis utrosque niti.

Sequitur ut, quo animo sint in superstitiones pontificias, dicatur: verbo quidem fatentur ecclesiam istam superstitionibus laborare; verum cum in specie ad earum designationem descenditur, aliter rem se habere comperietur: *Nam, quid vetabit quominus me signem signo crucis in qualibet corporis parte, quocunque demum tempore; in omni actione, cum in veteri ecclesia hoc factum fuerit, eodemque ritu sine ullo scandalo & superstitione adhuc uti possumus.* inquit Montacut. in Appello Cæsar. pag. 268. *& inter genuinas Apostolicas traditiones recenset* Samuel Hoardus, in concion. pag.15. *Pontificias superstitiones de reliquiis sanctorum circumgestandis*, audivimus supra Montacutio probatas. Modum orandi, eorum (uti canit Mantuanus)

Qui filo insertis numerant sua murmura baccis,

seu per globulos, & rosaria, laudat, & *sacram arithmeticam* vocat Staffordus, in gloria feminei sexus pag. 148. *Iejunium quadragesimale usque adeo arridet* Montacut. in antidiat. pag. 9. *ut non renuat hæreticus judicari, nisi ab Apostolica authoritate sancitum fuisse probaverit. Et à divina authoritate descendere* dicit Couzenius in devotione, pag.221. *ut & diei Veneris jejunium.* idem, ibid. &, *si Epiphanio* (inquit Guilielmus Wats in concione de Apostolica mortificatione pag.50.) *credendum, eadem authoritate nititur diei Mercurii jejunium.*

De locorum sanctitate profitentur, *ante Christianam sepulturam cœmiteria necessario consecranda esse ab Episcopis: quomodo vero consecratio ea peragenda sit, ad antiquos canones referunt; & consecrata pellui secularibus actionibus,*

bus, aut sepultura hæretici, schismatici, aut excommunicati. Laurentius in concione pag. 9. Josephus Hallus in concione habita ad consecrationem cœmiterii. pag. 38, & 40. & *exemplo Iudaeorum hanc consecrationem obtrudit.* ibid. *Templa esse peculiaribus ritibus consecranda, & iis consecratis sine periculo asscribi sanctitatem, laudatque illud Bernardi, quis parietes istos sanctos dicere vereatur quos manus sacrata Pontificum tantis sanctificavere mysteriis.* Tedderus in concione habita coram Episcopo Norvvicensi. pag. 8. *Profanari templa, si quis intra eorum parietes caput operiat.* Shelfoordus pag. 51. *altaria speciali ritu consecranda esse, & encania celebranda.* Poklington. altar. pag. 141. *Altaria cancellis separanda esse à reliquo templo, inter quos solis sacerdotibus ingredi licet; regibus & imperatoribus aliquando idem concedetur cum creatori dona offerunt.* Poklington. ibid. pag. 80. *coram altari ter se prosternere debere sacerdotes.* Laurentius ubi supra. pag. 20. *Propter arctam illam unionem inter locum illum & humanam Christi naturam.* idem pag. 12. *qua in altari tanquam in throno residet.* Cantuariens. in oratione habita in Camera Stellata. pag. 47. *Precandum esse facie ad orientem conversa, cum sic tradiderint Apostoli.* Heilens antidot. Licoln. *Dum recitatur Decalogus, genuflectendum esse; dum symbolum & Euangelium, standum; uti & cum habetur concio, apertis capitibus standum esse auditoribus.* Shelfoord. pag. 20. 22. *& ad nomen Iesu genuflectendum, exemplo præsulum licet nulla adhuc lege injungatur.* Ibid. *Delictum esse contra quintum decalogi præceptum, si quis festa in honorem B. Virginis Mariæ; Angelorum, & sanctorum non religiose observet:* Couzenius in devotion, *& profanari sacrosancta illa festa operibus: Diem tamen dominicum non profanari aut pollui iisdem operibus si ea magistratus permiserit, cum abstinentia ab operibus secularibus die dominico nullibi in novo testamento imperetur, & quod non prohibetur ultro permissum est.* Whitus Eliensis episcopus, in libro peculiari quo probat diem Dominicum non habendum esse pro sabbatho. pag. 217. *& ne inficeretur populus Iudaismo sabbathi, imperatum fuit pastoribus omnibus in Anglia ut publice prælegerent scriptum, quo omnibus concedebatur licentia ludendi diebus Dominicis post finita sacra, dummodo iis interfuissent.* Heilens in Historia sabbathica.

Restat quartum caput de missa pontificia: Cui ut viam præmuniant, vatiniano odio contra publicas conciones in ecclesiis reformatis frequentatas feruntur: ut iis extrusis locus sit missæ. Itaque docent, *munus concionandi publicum paucis tantum quibusdam extraordinariis & eminentibus viris committendum esse, necessarium tantum esse cum reformandi sint errores aut novi canones proponendi:* hoc est, *in ecclesia constituenda, non constituta: præcipuas partes pastoralis officii esse intelligenter ac distincte legere liturgiam, ejusdemque prælectionem esse efficacem concionem.* Shelfoordus, pag. 35. 39. 76. & passim ex professo. *Non esse publice petendum precibus auxilium Spiritus sancti ante inchoatam concionem; aut finita concione ejusdem opem ad audita in praxin referenda.* Heilens contra Burton. pag. 165. *Neque consultum esse pastoribus etiam doctissimis, ut privatim etiam in conclavibus, alia precum formula utantur, quam quæ in liturgia præscribitur; alias sciant se conatu temerario Dei majestatem contemnere:* Couzenius in devotion. præfation. *Diebus Dominicis, ad summum semel tantum concionandum esse, pomeridia-*

ridianas superfluas esse. Shelfordus p.93. Heilens contra Burton. p.166.168. (atque hic non sine singulari seu oscitantia, seu impudentia in historia sua sabbathica, parte 2.c.6.§.9. ausus est asserere, *Decretum fuisse idem in ecclesiis reformatis Belgicis in Synodo Dordrechti convenientibus anno* 1574. *artic*.46. ex rabula procul dubio Scultingio citans hunc canonem. *Publica vespertina preces non sunt introducenda, ubi hactenus non sunt ; & ubi sunt, tollantur.* quasi vero synodus illa loquatur de die Dominico, quod pro confesso sumi vult Heilens: atque inde infert, decreto synodico vetitas esse pomeridianas conciones diebus Dominicis, quod certe patribus illis ne per somnium quidem unquam in mentem venerat ; Nam revera loquuntur de concionibus quæ postmeridianis horis haberentur in reliquis septimanæ diebus.) Docent etiam, *conciones istas publicas magis officere pietati quam prodesse, sanctiusque victuros homines si essent conciones infrequentiores, cum per eas nascantur schismata, hæreses & quicquid vitiorum cernitur in populo.* Shelfoordus pag.71.82. Deus bone quanta verborum amarulentia insectentur hodiernos pastores, qui ex Apostoli præscripto sermonibus ad populum instant tempestive & intempestive, *pruriginosos quidlibet effutientes, qui ecclesiam in tonstrinam vertunt, catulos oblatrantes, clamatores odiosos & molestos, ineptiarum plenos vocat* Lancelot. Andreas posthum. oper. pag.32. quia sc. inani verborum tinnitu & secularis scientiæ ostentatio purum Domini verbum corrumpere illis religio est, & luporum adventum ac artes populo sibi commisso demonstrant, veriti ne torpido silentio pereuntium sanguinis rei essent.

Atque sic profligatis concionibus, De Missa docent, *satis significanter ipsorum liturgiam ea voce denominari, exemplo veterum.* Poklingt. in die Dominico. *Et sicuti vocem ipsam non damnant, sic neque rem voce contentam, modo sano sensu intelligatur.* Montacut. antidiatrib. pag.10. hoc est, *si sola transsubstantiatio à missa removeretur*, Poklington. altar. pag.138. *Imo nec de voce transsubstantiationis certamen moveremus*, inquit Montacut. antidiat. pag.10.

Vocem cum non aspernentur, videndum an pari affectu in res ipsas ferantur : Atque hic consideretur (inquit author) liturgia Scotis obtrusa, (quem fœtum esse Cantuariensem, frequentes per eum lituræ, interpunctiones, additiones, quin & quatuordecim literæ ipsius ad præsules Scotos, dum libri hujus editionem promoverent, satis licet contra jurantem arguent, & illud Eliæ Petlæi præfixum liturgiæ Anglicanæ à se Græcè factæ : quo gratulatur Archiepiscopo, *Ob restitutam ejus cura liturgiam sua dignitati, ita ut solenni more observetur in omnibus totius insula regionibus.*) Et cum missa componatur ; facile apparebit. Omnes Missæ pontificiæ partes ne una quidem exclusa, contineri in Liturgia hac Scotica vel formaliter vel virtualiter : ejusque parallelum se propediem in lucem publicam daturum spondet author. Specimen nunc exhibet in iis missæ principalioribus partibus, quas primi reformatores in Anglia ex liturgia Anglica expunxerant, & quas Scotis obtrusos denuo inseruit Cantuariensis : Offertorium videl. Canon, & communio.

Offertorii tum vox, tum res ipsa expresse continetur, eaque sæpius repetita, ne lectori incauto & cursim forte legenti excideret, ritum esse Synagogæ non negant liturgici pontificii, & huc collimat liturgia Scotica, quæ quinque

ex veteri testamento locos præfigunt, quorum literalis sensus Judaicam oblationem directe infert: quam usque adeo cupide amplectuntur, ut ipsam ejus (ut ita loquar) formalitatem imperent: *positio patinæ per sacerdotem super altari*, repræsentat, inquit Durandus in rationali, illud Levitici 14.4. Ponetque manus suas super caput hostiæ, & acceptabilis erit: Et ut sciatur præparatoriam hanc oblationem tam esse pro mortuis quam vivis, statim subjungitur *mortuorum commemoratio, qui in singulis suis ætatibus lumina fuerunt mundi, & ornati singulari gratia ac donis*, Couzenius, *speciatim sanctos quosdam nominat*. In devotione pag. 371. Neque hic se continent, verum *alios omnes Dei servos addunt, qui cursum suum in fide perfecerunt, & nunc à laboribus quiescunt*: quæ Bellarmino commodissima videtur explicatio eorum qui sunt in purgatorio, pro quibus preces concipere jubet Couzenius Cantuariensis Scholæ egregius discipulus, Devotionis suæ pag. 373. Horum nullum est omnino vestigium in liturgia Anglica.

Sequitur Canon Missæ; quem non minori odio prosequuntur Protestantes omnes, quam summa reverentia colunt Pontificii, fatente Bellarmino lib. 2. de missa cap. 18. Ejus orationes & præfationes pæne omnes sunt in liturgia Scotica: sed supra omnes maxime eminent Orationes consecrationis & oblationis; quas verticem & cor divini sacrificii vocat Innocentius, lib. 4. cap. 1. Consecrationis porro nomen quod in Anglica expunctum fuit, (quia sensu pontificio Consecrare est consecratione transsubstantiare, inquit Durandus lib. 4.) hic in liturgia Scotica inseritur majoribus literis; *Oratio consecrationis: Et hæc jubetur recitari à sacerdote ad latus altaris occidentale; facie, à populo qui longe distat, aversa*: Et quid differt hoc à secreta murmuratione verborum consecratoriorum inter Pontificios? Quare si quis hinc inferet, licere sacerdoti lingua populo incognita sacrum illud peragere, (quandoquidem Deus quem alloquitur, omnes linguas æque intelligat, elementa verò ipsa quæ consecrantur nihil intelligant, & populus, in cujus solius gratiam usus linguæ cognitæ urgetur, cancellis ab auditu sacerdotis aversi arceatur, ut audire nequeat) haud facile respondebit factio hæc adversaria, præsertim cum eorum longe doctissimus Whitus Eliensis Episcopus de sabbatho, pag. 97. *neget jure divino peragenda esse sacra lingua populo cognita; & ad ecclesiasticam traditionem referat*: longe tamen aliter sentiebat & loquutus fuit, cum ad insulam & mitram nondum promotus fuisset; nam in libro, quo doctissimi fratris vindicias contra Jesuitam peregit, cui titulus Orthodoxa fides, cap. 2. artic. 17. Apostolicum præceptum ex 1. Cor. 14. urget. Sed non tunc aperta fuere factionis hujus mysteria: cui solenne est à se semel posita convellere, & religionem ad ambitionem suam attemperare. In ipsa illa consecratoria oratione ipsa formalia Pontificiorum verba inseruerunt, quibus eorum transsubstantiatio innititur: nam *Deus rogatur, ut velit ita sanctificare oblationes panis & vini, ut fieri nobis possint Christi corpus & sanguis*: Consona sunt hæc illis Montacutii in Appello Cæsarem. pag. 289. *De modo præsentiæ Christi inanem esse inter pontificios & reformatos litem: concordiam esse facilem, nisi pacis consilia Iesuitæ & Puritani à Diabolo instigati impedirent*. & Laurentius, in concion. pag. 18. *Modum præsentiæ non quærendum esse, multo minus determinandum*. Antea tamen complura ex Cantuariensi & suis accepimus

pimus de corporali præsentia Christi in altari; propter quam altare adorari volunt. Si quis vero elevationem & adorationem elementorum desideret, eam exhibet rubrica marginalis Scoticæ liturgiæ, qua *presbyter jubetur tollere in manus patinam & calicem, & an æquum censeri debet, ut sacerdos sacra mysteria in manibus sumat, sine humili reverentia & submissione.* Heilens contra Burtonum, pag.137. Post orationem consecrationis immediate subjicitur *Oratio oblationis*, eo ordine & iis verbis, quibus in missali Salisburiensi olim exstabat; & ne quis dubitaret ne cum pontificiis plenum consensum foveret de natura hujus sacrificii, docent, *verum, proprium, corporale, visibile hic esse sacrificium, licet incruentum, ob cujus oblationem Apostoli & omnes pastores veri sunt sacerdotes seu sacrifici secundum ordinem Melchisedechi, & mensa eucharistica tam verum & proprium est altare, quam aneum illud Mosis altare fuit.* Heilens. antidot. Lincol. pag.6. & 17. & Poklingtonus ex professo, in altari suo Christiano, authentica Cantuariensis licentia excuso, inter alia quibus ubique turget fermento Papistico cap.20. sic loquitur. *Si nullum habemus Christianum altare, neque etiam ullum habemus Christianum sacrificium; si nullum sacrificium, neque etiam ullum habemus Christianum sacerdotem: si nullus est nobis sacerdos, apage Liturgiam docentem sacerdotem, quomodo ad altare assistere debet.*

Tertiam Missæ principalem partem facit Communio; cum liber Anglicus opportune adderet sententias quasdam de edendo per fidem, & bibendo in memoriam, ne corporalem præsentiam conciperent imperitiores ex verbis distributionis, Scotica liturgia sententias hasce delet, quia scil. ejus authoribus propositum fuit ut populus corporalem præsentiam conciperet, & responsione *Amen* eandem diserte profiteretur. Anglica liturgia jubet tradi elementa in manus communicantium; hoc in Scotica deletur, & ejus loco inseritur, *debito ordine communicet populus:* quibus verbis complura latent mysteria, nam cum iis innuatur oppositio quædam inter communionem clericorum & laicorum, neque ullibi expressum sit, in quibus differentia ista sita sit, excepto loco in quo actio hæc peragitur; cui dubium quin sic postica aperiatur plurimis Pontificiorum erroribus; quales sunt, ut elementa in os communicantis populi ingerantur; ut altera tantum species laicis tradatur: Nam *nullibi mentionem facit liber Scoticus communionis Laicorum sub utraque,* quin contra Montacut. in orginib. pag.396. aperte profitetur, nihil tale in scripturis inveniri. *Ubi* (inquit) *jubentur infantes in scripturis baptizari, aut in cœna Domini sub utraque specie communicantes participare; de his possumus profiteri, Nihil tale docet scriptura, scriptura hac non prædicat:* Quid sibi vult nomen illud *Corporalis*, de linteo quo tegenda sint elementa post consecrationem? nomen illud nunquam ecclesiæ innotuit nisi post natam transsubstantiationem: Uti & illud, *si elementa consecrata non sufficiant communicantibus, presbytero repetenda sunt verba consecrationis super novo pane seu vino. Quid repositoria illa publica? A quorum retentione ecclesiam Anglicanam laudari* vult Poklingt. nonne satis docent consultum esse sacramenta reservare? in quem usum, viderint ipsi: Andreas Wintoniensis in strictur. *Non audet damnare consuetudinem illam reservandi sacramenta, & deferendi ad ægrotos pro viatico.*

Restat jam, ut probetur eandem factionem gravissimam tyrannidem pro-

movere tum in ecclesias, tum in subditorum privilegia.

Despoticam authoritatem in ecclesias sibi assumere præter quotidianam praxin, hæc eorum ἀξιώματα demonstrant, *Potestatem condendi ecclesiasticas leges solummodo competere Diœcesano episcopo, tam extra Synodum, quam in Synodo, in qua quos ex clero advocare Episcopo visum fuerit, suffragia habent solummodo deliberativa, cum spiritualem jurisdictionem in foro exteriori non solum à regibus, verumetiam à Deo habeant episcopi; quia dicit Apostolus, omnis potestas est à Deo.* Samuel Hoardus, conc. pag. 8. quam habuit in Metropolitana visitatione.

Iura omnia quibus reguntur ecclesiæ, & quibus reges ipsi, membra & filii ecclesiæ permittunt se gubernari, nativam vitalitatem ex præpositis ecclesiæ, hoc est, Episcopis, tanquam ex corde recipiunt, & vivacitatem ex ipsis tanquam ex capitibus derivant. Chounæus in collect. theolog. pag. 53. *Episcopos solos sine ullo cleri consensu posse abrogare totam ecclesiasticæ disciplinæ formam, licet ea legibus regni municipalibus, ac nationalium Synodorum decretis sancita sit, ac annis 80 frequentata: & ejus loco novam substituere: posse totam externam cultus divini formam unica litura obliterare, & novam à se compositam invitis ecclesiis severe obtrudere:* Testatur praxis recens Episcoporum Scoticorum, obtrudentium simul & semel libros Canonum, liturgiæ, ordinationis & homiliarum; non minus monstrosa & barbara Scotis sunt hæc nomina, quam fuerunt ominosa: Ad quod faciendum Cantuariensis consilio & auxilio commoti fuerunt, suisq; literis frequentissimis quæ in Scotorum manus devenerunt, ut diligens ἐργοδιώκτης eosdem sollicitavit, ac currentibus calcar addidit: *Pari reverentia & cura obsequendum esse mandatis Episcoporum, qua Dei; cum Deo contraria non præceperint.* Whitus in examine dialog. pag. 20. ex Bernardo citat & probat; ut & illud ex Eusebio, *quicquid in sanctis episcoporum consiliis decernitur, id universum divinæ voluntati debet attribui.* Ita quidem, ut *si quis ausus fuerit vocare in dubium non solum Canonem, verum etiam rubricam & titulum canonum Episcopalium, excommunicandus sit.* Canon. Scotic. pag. 8. & *ubi nulla pœna quorundam canonum violatoribus designatur, ea ad arbitrium Episcoporum referatur.* Ibid. pag. 37. quam vero gratiam ab episcopis exspectare possint rei læsæ authoritatis episcopalis, illustria & recentia exempla satis docent; stigmata, perpetuus carcer, aurium amputatio, publica flagellatio, exsilium, ingentes mulctæ pecuniariæ; leves dicunt esse pœnas, respectu earum quas meriti sunt qui audent ministrorum paritatem ex verbo Dei probare, aut, episcopatum juris esse divini, negare: Cum tamen singulari clementia ferantur in Jesuitas, & sacerdotes pontificios: *absit* (inquit Cantuariensis in epistola dedicatoria præfixa relationi colloquii cum Piscatore seu Fischero Jesuita) *ut ego unquam author aut suasor essem vel minimæ persecutionis contra Iesuitas; aut ut ego ipse eos persequerer: nam quantum memini, neque illum, vid. Fischerum; aut illius socios, vel verbis acrioribus unquam accepi.*

Potestatem supremi magistratus usq; adeo extendunt, ut nullus locus legitimis subditorum privilegiis relictus sit; licet sereniss. Rex Carolus in oratione sua regia ad parlamentum Angliæ anno 1628 ingenue professus sit, *prærogativam regiam in eo sitam esse ut subditorum privilegia tueretur*; licet advocatus regius in Anglia non ita pridem nobiles

biles quosdam Anglos in jus vocaverit regis nomine, quod scriptum quoddam ab alio compositum penes se haberent, & divulgassent, quo author scripti Regi sereniss. suggerebat, *ut omnia ad sui ipsius arbitrium revocaret, subditorum fortuna sine ipsorum consensu arriperet, ac edictis suis sine parlamenti consensu leges figeret & refigeret. Quod scriptum*, inquit idem advocatus, *si vulgo innotuisset, maximis tumultibus causam præbuisset, ac inevitabile fere damnum tam Regi sereniss. quam toti regno excitasset*. Licet Bilsonus Wintoniensis episcopus de subjectione pag. 280 fateatur, *Licere subditis aliquando sine rebellionis crimine, principibus suis resistere, si imperium & regnum in tyrannidem mutare velint, aut neglectis legibus ex animorum suorum arbitrio agere, his* (inquit) *& similibus casibus, licet optimates & populus se conjunxerit ad antiqua & recepta privilegia defendenda, nequaquam rebelles censendi sunt*. Et ibid. idem, *Scotorum, Gallorum, Belgarum protestantium causam contra rebellionis crimen iisdem à Pontificiis objectum fuse agit*, ac diserte asserit, *Licere optimatibus & populo tueri antiquam suam & Christianam libertatem pactam & conventam cum principibus, quibus primitus se submiserunt, & confirmatam ac approbatam à subsequentibus regibus*; Licet serenissimus Rex Carolus, reformatos in Galliis contra illorum regem, & Germanos contra tyrannidem imperatoris juverit, nunquam proculdubio manum periclitantibus tam liberaliter majorum suorum exemplo porrecturus, si putasset nulla ratione licere subditis se tueri contra principes supremos: aut regum potestatem supra omnes leges esse, à quibus non posset limitari. Nihilominus tamen vulgo apud hujus adversæ factionis principes receptum & decantatissimum est, *regum potestatem illimitatam esse: nam cum sint Dei Deputati, à quibus quaso limitari possunt? An à legibus? Sed illarum conditores sunt & latores. Principes itaque supra leges sunt, & principi lex non est posita, & absolutam habet authoritatem*: Heilens in moderato suo respons. pag. 28. 32. Aberdonenses Theologi in duplic. pag 22. *Et non minus læsæ majestatis crimen incurrere qui definiet, quid rex possit aut non possit, quam Atheismi, qui pro & contra disputet, quid Deus possit aut non possit*. Ait quidam ex factione ista sub larva Lysimachi Nicanoris; pag. 3. *Regum rescripta privata, leges esse*. Heilens antidot. Lincol. pag. 66. Totus liber Johannis Wemii de primatu regis, tyrannicis hisce paradoxis refertus est; in quo nomine primatus regii omnia tum in republ. tum in ecclesia regibus concedit, *Ita ut nullo casu, quicunque demum is sit, subditis liceat principi resistere, adversus quem naturalis juris defensio seu injuria depulsio omnibus & singulis ademta est*. Quod & Aberdonenses Theologi in duplica sua passim effutiunt, & in canones ecclesiasticos in nupera convocatione Anglica, Cantuariensis opera relatum est: & hinc atrocia illa rebellionis, seditionis convicia toties in Scotos jactitata, quia privilegia ecclesiasticis & politicis legibus sancita, à pauculis quibusdam ecclesiasticis iisque exteris & peregrinis, regia gratia abutentibus conculcari, & regnum suum independens & liberum simul cum ecclesia, in provinciæ servilis formam redigi non patiuntur.

Atque hæc est summa illius libri. Notum est Liturgiam, Canones, Ordinationem, Scotis obtrusos ab Episcopis libros, inter præcipuas turbarum causas recenseri. Ut vero exactius intelligatur, quales illi libri fuerint, & quam

intolerabiles,audiamus Synodum Glasguensem.

Seß. XIV *Decembr. 6. die Iovis.*

Animadversiones in librum liturgiæ ab Episcopis obtrusum ecclesiæ Scoticæ.

Rejiciendus est hic liber, 1. quia obtruditur sine ullo prævio ecclesiæ hujus consensu & approbatione in synodo nationali, penes quam proprie hujus generis negotia definiuntur. 2. quia legitimam & longo usu receptam cultus divini externam formam prorsus abolet,ac in ejus locum substituit aliam à Pontificiis mutuatam, ac ex Missali, Rituali, Breviario Romano desumtam, quæ plurima superflua & ridicula ac superstitiosa continet, semina etiam gravissimorum errorum ac Idololatriæ, ac in multis Anglica liturgia deterior est.

Inter alia ridicula ac superstitiosa quæ à Pontificiis mutuatur, hæc sunt. Nam 1. *Presbyteri tenentur matutinas & vespertinas illas preces singulis diebus publice vel privatim prælegere*, pag. libri illius 7. Porro si privatim & solus prælegat, quis usus responsionum per populum: nisi forte intelligendum sit, debere presbyterum sibi respondere nomine ecclesiæ quam repræsentat, & sic preces hæ cum sint publica authoritate institutæ,& prolatæ à publica persona, deputata ab ecclesia ad orandum nomine suo, & hac intentione ut expleat munus suum, quid aliud erunt quam preces illæ Papistarum publicæ, seu horæ Canonicæ, quarum duæ ex septem reponuntur. vide Bellarm. tom.4. Controvers. lib.1. De bonis operibus in particulari. cap. 10. 2. Nullus certus locus destinatur matutinis & vespertinis precibus publicis; sed remittitur arbitrio Episcopi, qui sedulo studebit templorum formam ad tempora præcedentia revocare, hoc est, quando Papismus regnabat, ad similitudinem scil. templi Salomonis, divisi in porticum, navim, & sacrarium. 3. *Quædam alia voce à presbytero proferenda sunt*, alia vero voce submissa, quæ forma pontificiis consueta est in mysterio Missæ; preces etiam quædam, confessio fidei, & alia jubentur legi *aut cani*, cum tamen in metrum non redigantur. 4. licet situs corporis indifferens sit, in quibusdam tamen precibus indicitur, ut genibus flexis precemur; in aliis ut stemus; in aliis vero nullus omnino corporis situs imperatur. Et aliquando populus jubetur orare, non presbyter; & vice versa, aliquando populus jubetur comprecari cum presbytero, quandoque repetit, quandoque respondet, & alias orationem inter se dividunt, jubetur presbyter aliquando faciem ad populum convertere, aliquando ergo avertit: stare cum legitur Euangelium, sedere cum prælegitur epistola, genuflectere cum Decalogus: Quam frequentem oportet esse libri revolutionem à Psalmis ad collectas, ab iis ad hymnos, inde ad Psalmos,ad lectiones,ad Litaniam. 5. Exotica prorsus phraseologia Papismum redolet; etenim plurimas habet voces Scotis penitus barbaras à Romanis sacris omnes mutuatas: v.g. *Matutinas, vespertinas, Adventum, Epiphania, septuagesimam, sexagesimam, quinquagesimam, Dominicam, rogationes, loci ordinarium, collectas, litanias, Venite, Te Deum, Benedictum, Magnificat, Nunc dimittis, Sabbatum cantate, Dies cinerum, oblationes, antiphonias, puerperarum purificatio. Actorum Apostolicorum & Prophetarum veteris testamenti capita quædam dicuntur Epistolæ, offertorium, Annunciatio Dominæ nostræ officiare, corporale, utraque species, & cæt.* Insolitæ & exoticæ hæ voces, quibus perstringuntur populi aures, metus haud injusti ansam præbet, ne sub Latinorum illorum verborum invo-

involucro lateant etiam Sacra Latina. 6. In Calendario, sanctorum numero adscribuntur quidam, cum, an atri fuerint an albi, ignoretur: v. g. Lucianus, Rex David, Kentigernus, Fabianus, Agneta, Vincentius, Blasius, Valentinus, Colmannus, Patricius Episcopus, Gutbertus, Benedictus, Gilbertus, Servius, S. Georgius, Dunstanus, Suithinus, Nomen Jesu, Ægidius, Ninianus, Adamannus, Sapientia, Crispinus, Hugo Episcopus, Sylvester, & cæt. 7. Confessio peccatorum & absolutio ante orationem prælegi jubetur. pag. 25. quasi vero confessio non esset precatio, & in ea multa à Deo non peterentur. 8. Verba illa conclusoria orationis Dominicæ, *quia tuum est regnum*, & cæt. aliquando omitti jubentur, aliquando recitari; & cui bono? 9. Singulis diebus, TeDeum laudamus prælegi aut cani jubetur, quasi hymnus ille ab hominibus compositus, Psalmis omnibus à spiritu S. dictatis sanctior esset. 10. *Presbyter, clerici, & populus alta voce simul omnes repetant orationem Dominicam.* pag. 42. quam hoc confusum, & annon presbyteri sunt ex clero? 11. In litania, complurima nomina & titulos Deo ascribunt, & multoties unam eandemque orationem repetunt, octies *libera nos Domine*, vicies & bis *Te rogamus audi nos*, presbyter designat solum mala, quæ populus orando deprecatur; bona itidem, quæ populus orando petit. 12. Per mysterium sanctæ incarnationis, nativitatis, circumcisionis, baptismi, jejunii & tentationis tuæ, per agonem & sanguineum sudorem, per crucem & passionem, per preciosam mortem & sepulturam, per gloriosam resurrectionem & ascensionem tuam in cœlum libera nos domine; quid hoc est aliud quam mera adjuratio? 13. Post 44 orationes, inter quas una est oratio Dominica, dicunt, *precemur*, quasi præcedentia omnia in orationum censu non veniant. 14. Observandum quod in lectionibus S. cœnæ destinatis, epistola ponatur ante Euangelium, quod est contra ordinem Biblicum; & quod gratiæ non referantur Deo post lectionem epistolæ, cum tamen sollicite cautum sit, ut Euangelii lectionem clauderet semper doxologia. 15. Dicitur, *innocentes illos*, infantes ab Herode crudeliter necatos, *testes fuisse Christi*, seu martyres, *& Dei laudes expressisse non loquendo, sed moriendo.* Ubi varia sese produnt, tum quod infantes illi sine ulla explicatione dicantur Innocentes, quod Pelagianismum redolet. Et quod *omnes in genere testes seu martyres Christi* dicantur, cum tamen nec habitu nec actu martyres dici possint: non habitu, seu animi resolutione, multo minus actu, cum nec pro fide quam ignorarũt, nec in fide omnes mortui vere & simiter dici possint. 16. In collectis tertiæ & quartæ dominicæ post Epiphania, & in septuagesima prælegitur deprecatio quorundam periculorum, quasi dies illi magis fatales essent aliis. 17. In collecta tertiæ dominicæ Quadragesimæ petitur tutela contra hostes, quasi dies ille huic periculo magis subjiceretur aliis, aut quasi preces illo die prælectæ ad malum illud præcavendum sufficerent. 18. Dies passionis tres habet collectas, cum alii unam, alii vero nullam prorsus habeant. 19. In collecta duodecimæ dominicæ post trinitatem, petitur, *ut ea largiri velit Deus, quæ precibus rogare non audent*: an hæc est Christianorum πληροφορία? 20. Notandum, omnes fere collectas de verbo in verbum translatas esse ex Missali Roman. 21. In rubrica S. cœnæ præfixa, *Sacra mensa instrui jubetur tapete, & mundo panno lineo, & aliis decoris utensilibus*, in quorum numero quin veniant superstitiosa illa omnia quibus altaria sua ornant Papistæ,

vid. crux, candelæ, phylacteria, substratoria, quid impediet? præsertim cum hæc sibi displicere nullibi ostenderint libri hujus architecti. 22. Jubetur *Presbyter officiaturus stare ad septentrionalem altaris partem seu latus*, quem vestitu missatico indui oportebit, si ita Episcopis visum fuerit: nam anno 1633 nihil ad summam diligentiam reliqui fecerunt, ut Regi sereniss. concederetur facultas, quem vellet pastoribus habitum in sacris imperare. 23. Post repetitam orationem Dominicam jubetur presbyter facie ad populum conversa clare & distincte recitare Decalogum; & populus jubetur sese interea in genua provolvere; unde satis innuitur aversa à populo facie recitandam esse à presbytero orationem Dominicam, & submissa etiam voce; quærendum porro cur populo genuflectendum sit dum prælegitur Decalogus, & idem situs corporis non urgeatur, dum precatio Dominica recitatur. 24. Ecclesiæ œconomo vel Diacono mandatur, *ut pelvim cum fidelis populi oblationibus summa cum reverentia presbytero officianti offerat, qui eandem submissa genuflexione altari imponet, ac Domino offeret.* Ubi latet 1. Judaismus, dum Deus præsens supponitur magis in altari ante consecratam eucharistiam, quam alibi, quod commentum nequeunt vel ipsi Pontificii deglutire: 2. Papismus, tum dum populi oblatio præcedit sacrificium, tum dum duæ oblationes statuuntur, altera pecuniæ, altera panis & vini. 25. Sæpius imperatur genuflexio, cum nullibi tamen reperiatur mandatum præparationis seriæ ante communionem, & spiritualis ac interni cultus in ipso actu. 26. Permittitur uti pane illo azymo rotundo, hostias nummularias vocant alii. 27. Jubetur presbyter pro Rege orans stare, duæ item ponuntur orationes pro Rege, nulla pro Regina & regiis Liberis. 28. Festos dies septimanæ subsequentis inter celebrandam cœnam significet presbyter. 29. Si infrequentius aut negligentius ad communionem accesserit populus, inter ipsa cœnæ Sacra ad communionem eundem hortari jubetur presbyter: Porro cum eum certiorem fecerit populus de accessu suo, uti in alia rubrica tenentur, quo fine adhibetur hæc adhortatio? quod si nomina sua communicaturi non designarint, neque iis statutum fuisset communicare, nisi forte per eam adhortationem animi propositum mutaverint, an statim admittit presbyter, etiamsi de scandalis ecclesiæ non satisfecerint? & si tunc admittantur, an licebit censuram ullam illius scandali nomine postea illis infligere? 30. Quidam dies sacri proprias præfationes habent, quidam non, & quare? 31. Mandatur presbytero officianti stare, non genuflectere, cum orationem consecrationis recitat: & in eo loco consistere quo facilius & majori cum decoro utraque manu uti possit, cum interim solus ad altare stet. pag. 207. Quærendum merito, quid illud sibi velit; ut utraque manu uti, vel utramque exercere possit? an ut imagines crucis in aëre formet? an ut patinam & calicem in altum elevet? & an non diserte rubrica hac statutum sit, ut ad occidentalem altaris partem consistat, facie à populo aversa & ad orientem conversa? Deliramenta & nugæ hæ theatricæ sacrosanctam Domini cœnam in comœdiam transmutant, & Dei cultum infidelium ludibrio ac piorum dolori exponunt. 32. In oratione consecratoria, verba institutionis per modum orationis ad Deum diriguntur, non ad populum; pro-ut constituit Christus. 33. Licet liturgia cœnæ ab oratione Dominica inceperit, nunc tamen post oblatum Christum, pag. 209. repetitur, præmissa

missa notabili hac clausula, *Audemus dicere*, qua innuitur absque confidentia prius prolatam fuisse, quia scil. nondum oblatus fuit Christus; nugæ meræ papales. 34. Jubetur presbyter pecuniam oblatam dividere, & semissem sibi sumere, ut esca scil. hac facilius capiatur & hamum opertum deglutiat. 35. Dicitur expedire ut lingua Anglica celebretur baptismus, & cur idem non notatur in reliquis cultus divini partibus? & annon alicubi in regno Scotiæ magis expediat sacra omnia celebrare lingua Hibernica, quæ sola multis cognita est? 36. Dicitur veteres baptismum administrasse tantum in Paschate & Pentecoste, & consuetudinem hanc imitandam nobis esse quam prope fieri possit, licet in solidum revocanda non sit. pag. 215. Quærendum cur hic facta mentio vetustæ illius consuetudinis; an ut ostendatur, Patres non judicasse baptismum simpliciter esse necessarium? quod libri hujus authoribus in mentem venire non potest, quandoquidem satis diserte postea affirment baptismi necessitatem: An vero ut patres illi accusentur desidiæ & negligentiæ salutis infantium? sed cur quæso tum monent patrum vestigia, quam presse fieri poterit, premenda esse? Turpe est doctori, & cæt. 37. In celebratione baptismi: pag. 215. Susceptores, non vero parentes, monentur ut fonti adsint: & miris elogiis fontis illius baptismalis sanctitas celebratur: quæ quæso major efficacia fontis quam pelvis? 38. Licet curato significatum sit infantem esse baptizandum, rogare tamen debet, an hactenus baptizatus fuerit. 39. Fontis baptismalis peculiaris instituitur consecratio & singulis mensibus mutanda est bis aqua, & consecranda. pag. 216. 40. Ad imitationem veterum, qui adultioribus baptizandis interrogata quædam proposuerunt ante baptismum, videlicet: An credis? an renuncias diabolo & omnibus operibus ejus, ac inani pompæ mundanæ? an baptizari vis? & cæt. Eadem interrogata infantibus hic satis ridicule proponuntur; quorum vice respondere jubentur susceptores; Ego credo firmiter, volo baptizari, & cæt. 41. Susceptores, non vero parentes, tenentur infantem in fide instituere. 42. Dicitur duo in baptizandis requisita esse, pœnitentiam & fidem; quæ præstant infantes per susceptores & sponsores suos: an hæc satis sana? Nam cum baptizentur infantes, quia in fœdere sunt, quo Dominus promisit se fore Deum parentibus & semini eorum, & infantes non sint susceptorum seu patrimorum semen & liberi, quomodo poterit susceptorum illorum fides & pœnitentia infantibus illis prodesse? 43. In liturgia matrimonii, pag. 242. In peragendis matrimonii sacris, sponsus annulum habet, quem sponsæ non tradet, priusquam presbyteri libro imponatur: hoc scilicet supplet vicem pontificiæ benedictionis per aquam lustralem: Annulum hunc presbyter tradit sponso, qui digitum annularem seu medicinalem sinistræ manus sponsæ eo exornabit, dicens: Ego te hoc annulo spondeo, & corpore meo colo, vel adoro, vel honoro; nam verbum illud quo utuntur, *I Worshippe*, in sacris adorare vel colere significat. 45. In ordine visitationis infirmorum, pag. 249. una & eadem oratio præscribitur in omnium ægrorum usum, eædem exhortationes & consolationes absque ulla variatione. 46. In liturgia sepulturæ prælegitur, precatur, canitur. 47. Puerperarum purificatio Judaismum redolet, & cæt.

Inter semina errorum quæ dispersa latent, sunt. 1. Quod libri Apocryphi, veteris testamenti partes dicantur. pag. 11. & quod libri quidam ac capita Ca-

nonicæ ſcripturæ dicantur minus conferre ad ædificationem, & melius omitti poſſe quam Apocryphorum capita, quæ prælegi mandantur. Plurimum etiam Canonicæ ſcripturæ nunquam publice prælegitur,ut Canticum Canticorum & univerſa Apocalypſis, duobus tantum capitibus exceptis, & parte capitis decimi-noni: An non ortus inde error Pontificiorum, quo Apocryphi libri ſtatuuntur eſſe Canonici,ex eo quod in eccleſia legerentur? 2. Obſervatio feſtorum ſanctis dicatorum, pag.31. & Angelis: Imo plures ſtatuunt dies ſanctos quam Dominus in lege veteri determinavit Judæis: An non hinc ſuccrevit ſanctorum cultus religioſus apud Pontificios? 3. *Devicta mortis acerbitate, aperuiſti regnum cœlorum omnibus credentibus*, pag.38. & in epiſtola prælegenda ad veſperam Paſchatis, applicatur 1. Petr.3. 17. Annon ſapiunt hæc limbum patriarcharum? 4. In ordine ſepulturæ, pag.262. orant, ut nos una cum fratre demortuo & aliis omnibus in vera fide & confeſſione nominis tui vita defunctis, conſequamur perfectam abſolutionem, & conſummata corporis & animæ benedictione fruamur. Nonne hinc facile pullulabit precatio pro mortuis? 5. A ſcortatione & omnibus mortalibus peccatis libera nos Domine. Diſerta hic eſt diſtinctio peccatorum in mortalia & venialia. 6. Recurrente nativitatis Chriſti feſto, orantes dicunt; hodie natus eſt Dei filius: unde ſequitur,toties natum fuiſſe Chriſtum, quoties anni à nativitate numerantur, hoc eſt, 1637. Aut ſi per diem illum intelligant, menſis non anni diem, oratio illa non erit ex fide: nam ex quo ſacræ Scripturæ fundamento colligi poterit, illo menſe natum fuiſſe Chriſtum? Idem etiam de circumciſione, Epiphaniis, & aliis feſtis. 7. In collecta tertia Dominicæ poſt Paſcha, dicitur, Deum omnibus in errore verſantibus veritatis ſuæ lucem monſtrare, quod adverſatur Pſal.147.19,20. Indicat verba ſua Jacobo, ſtatuta ſua Iſraëli: Non fecit ita ulli genti, ideoque jura iſta non noverunt. 8. In collecta ad feſtum S. Michaelis, Michael ille Angelorum princeps, Apocal.12.7. refertur inter Angelos creatos, cum tamen ſit Jeſus Chriſtus. 9. In rubrica ante communionem, præparatio in eo ſita eſſe videtur, ut communicaturi veſpera præcedente nomina ſua presbytero ſignificent, aut eo ipſo mane quando adminiſtratur S.cœna: licet tum impoſſibile ſit Paſtori de vita & moribus communicaturorum inquiſitionem inſtituere, aut tam ſubito ſcandala & controverſias ac rixas componere. 10. Eadem rubrica, flagrantis ſcandali reus admittitur ad S.cœnam, modo apud ſe ſtatuat & profiteatur, ſe poſtea ſatisfacturum, annon Chriſti inſtituto directe hoc adverſatur, jubentis, prius conveniendum eſſe fratrem læſum, & illi reconciliandum eſſe? 11. Sicuti liber hic omni prorſus authoritate eccleſiaſtica deſtituitur, ſic pag.29. jubet homilias publica authoritate componendas recipere: unde ſequitur, verbi prædicationem & preces à publica illa authoritate civili in univerſum dependere, & in omnibus religionis negotiis eccleſiam hanc ad cæcam obedientiam aſtringi,ac fundamentum fidei eſſe edictum ab aula procuratum, aut procurandum. 12. Oratio offertorii contradicit titulo præfixo; qui ſic ſe habet: Oremus pro univerſa Chriſti eccleſia, hic in terris militante: In oratione vero eſt commemoratio mortuorum, & reſtrictio Nomenclaturæ *Sanctorum* ad eos qui gloria nunc fruuntur. Atque ſic via ſternitur ſanctorum canonizationi & invocationi. Adde quod ibidem preces fiant pro mortuis qui vitæ ſuæ curſum in fide

de transegerunt, & nunc à laboribus suis quiescunt, quomodo optime descri-bi animas in purgatorio, fatetur Bellarminus. 13. Auricularis confessio obtruditur conscentiis populi; pag. 204. & absolutio diserte offertur. 14. Modo tres aut quatuor adsint, celebrari poterit communio; pag. 214. qui fortasse erunt, diaconus, subdiaconus & clericus, licet nullus ex populo adfuerit: quid quæso magis refert privatam pontificiorum Missam? 15. Ibidem imperatur, ut omnes ter accedant ad communionem annuatim, præsertim vero in Paschate. Judaicum hoc est, neque legitur Christum alligasse sacramentũ hoc cuivis speciali tempori, sed dixit, hoc facite *quoties* ederitis, & cæt. 16. Ut persuadeant populo necessitatem baptismi. pag. 216. citant verba illa Christi; nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, & cæt. quæ tamen de baptismo aquæ non intelligenda sunt: & ibidem dicitur, Deum sanctificasse fontem, prorsus sine ullo scripturæ testimonio. 17. In exhortatione post consignationem crucis in baptismo, fundamentum hoc ut indubitatum ponitur, Omnes baptizatos esse regeneratos. & pag. 224. Infantes baptizatos omnia habere quæ ad salutem necessaria sunt; Quod eorum est axioma qui totalem & finalem vere sanctorum Apostasiam tuentur. 18. Interrogata ad privati baptismi examinationem proposita, pag. 223. præsupponunt eos baptizare posse, qui tum formam tum materiam baptismi prorsus ignorant. 19. Dicitur pag. 231. Christum redemisse me & totum genus humanum, quæ phrasis cum nullibi per totum librum commoda aliqua explicatione leniatur, universali redemtioni tam reproborum quam electorum viam præstruit. 20. Dicitur p. 235. duo esse sacramenta in genere necessaria ad salutem: quo innuitur alia esse licet minus necessaria, & in horum numero postea ostendetur collocari ordinem, matrimonium, pœnitentiam & confirmationem. 21. Internæ partes sacramenti S. cœnæ dicuntur, pag. 236. esse Corpus & sanguis Christi, quæ vere sumuntur in S. cœna, neque ullibi seu in liturgia eucharistiæ, seu in Catechismo, ulla vocula exstat, qua phrasis hæc explicetur, aut à commento transsubstantiationis distinguatur. 22. Confirmatio, pag. 237. 238. secundum definitionem sacramenti in Catechismo inserto propositam, erit sacramentum; videl. externum & visibile signum internæ & spiritualis gratiæ in nos collatæ, institutum à Christo ut medium quo gratia recipitur, & arrha qua de eadem gratia certi reddamur. Atque hic est signum externum & visibile, manuum impositio per Episcopum, qui solus confirmare potest: Gratia interna & spiritualis, est defensio & vires contra omnes insultus Diaboli, peccati, & mundi, & in precatiuncula post impositas manus dicit Episcopus; *Supplices tibi preces fundimus pro his pueris, super quos ad exemplum Apostolorum tuorum manus imposuimus, ut certiores eos hoc signo redderemus tua in ipsos benigna voluntatis:* unde sequitur, Impositionem manuum Episcopi esse signum obsignatorium & medium per quod gratia confertur. Adde quod ratione ministri, qui est solus Episcopus, duobus genuinis sacramentis præferatur, & sæpius necessaria dicitur hæc confirmatio: quid hæc à pontificiis differunt? 23. Matrimonium etiam tacite inter sacramenta numerari quid vetet? nam annulus contactu libri presbyteri sanctificatus sacrum erit gratiæ symbolum, significans, vivendum esse matrimonio conjunctis in mutuo amore & pace, & juxta præcepta Christi. 24. In celebratione matrimonii, pag. 242. Sponsus à pres-

bytero instruitur dicere sponsæ : *Bonorum omnium meorum te participem facio, seu omnibus meis fortunæ bonis te amplifico, In nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti :* quibus verbis tenetur maritus bona omnia sua mobilia & immobilia sponsæ communicare, nisi perjurus esse velit, ac sacrosancto Dei nomine abuti. 25. In ordine visitationis infirmorum, pag.253. ægrotus jubetur coram presbytero particularem peccatorum confessionem edere, à quibus à presbytero absolvetur; quam hoc inclinat ad auricularem confessionem! 26.*Grassante peste aut quovis alio morbo contagioso,permittitur ministro S.cœnam cum solo ægroto celebrare*, & sic cum uno ægro, cur non cum uno quovis alio? 27. Dicitur, pag.267. *In primitiva ecclesia piam fuisse disciplinam, ut initio quadragesimæ manifesti peccatores ad publicam pœnitentiam cogerentur, eosque humiliter se submisisse ad subeundam in hoc mundo pœnam, qua eorum animæ salvæ fierent in die Domini: in cujus locum, donec eadem disciplina restitui possit (quod maxime optandum est) visum est ut hoc tempore coram vobis legerentur generales maledictionis Dei sententiæ adversus impœnitentes peccatores :* quid hoc aliud est, quam optare ut opera pœnalia satisfactionum restituerentur? & falsum est ullam talem fuisse in primitiva ecclesia consuetudinem, nisi forte corruptam ecclesiam Romanam eo elogio cohonestare velis. Nonne vel hoc satis indicabit, authores hujus libri ad ecclesiam præsentem Romanam inclinare?

Semina etiam idololatriæ libro hoc continentur. Nam 1. Calendarium catalogum habet quorundam virorum & feminarum, quos speciali ratione ad *sanctorum* honorem evehit : quid hoc aliud est quam sanctorum canonizatio, quæ sanctorum invocationi viam sternit? 2. Eodem collimat dedicatio dierum in honorem sanctorum, quæ ab hac ecclesia semper post reformationem judicata fuit Idololatria papistica. 3. Beata virgo Maria vocatur Domina nostra, pag.14. 4. In oratione consecrationis elementorum S. cœnæ sic habetur : *Benedicito & sanctificato verbo tuo & sancto Spiritu has tuas creaturas panis & vini, ut sint nobis corpus & sanguis dilecti filii tui :* quæ sunt formalia verba Canonis missæ pro transsubstantiatione. Dicit quidem Apostolus, creaturas Dei sanctificari verbo & precibus; sed an unquam auditum, res spiritualis gratiæ incapaces sanctificari per spiritum? Interim libri hujus architecti satis sensum suum prodiderunt, vid. ut Deus omnipotentia sui spiritus miraculose efficere velit, ut panis ille & vinum mutetur in verum corpus & sanguinem Christi. Nam sanctificatio hæc, quæ verbis illis petitur, est mutatio quædam, eaque vel sacramentalis, vel spiritualis, vel per transsubstantiationem : Non est sacramentalis, quia tum non opus esset aliis verbis, quam institutionis Christi : neque spiritualis, nam sic potius cum Anglica liturgia dicendum esset : Sanctificato nos verbo tuo & spiritu, ut participes esse possimus corporis & sanguinis Christi. Restat itaque intelligenda esse de mutatione per transsubstantiationem,& in hunc finem mentionem facit liber *Corporalis*, qua voce notandum est quod non utantur, nisi post consecrationem. 5. In margine ponitur,pag.208. cum ad verba illa institutionis,*panem accepit*,presbyter officiaturus devenerit,sumet tum patinam in manus. Et in missali Romano sic habetur. Dum repetit sacerdos, *hoc est enim corpus meum*, hostiam supra caput elevet, ut ab omnibus conspici & adorari possit. Neque dubitandum quin idem hic sit sensus, præsertim

tim si locus & situs presbyteri & populi attente consideretur; nam presbyter à populo longe remotus ad occidentalem altaris partem facie à populo aversa stat, & populus extra sacrarii cancellos in genua provolvitur: quare necesse est ut patinam & calicem in altum elevet, si à populo conspici velit, alioqui frustra species (uti hic liber loquitur) in manus sumeret. Adde quod ab hoc presbyteri & populi situ sequatur, utrumque facie ad orientem conversa precari. Vah quam subdole subrepat idololatria! 6. Pontificii duplicem habent in missa oblationem, alteram præparatoriam, panis & vini consecrandi, alteram hostiæ post consecrationem: utramque liber hic continet. Prior est in offertorio diserte: secunda in memoriali oblationis post orationem consecrationis; nam præterquam quod titulus ipse illud clamet, verba etiam memorialis satis demonstrant: & licet mentionem faciat sacrificii laudis seu gratiarum actionis, non tamen per vocem illam intelligi debet spiritnale aliquod sacrificium, quod in laude & gratiarum actione consistit, sed corporis Christi sacrificium, sic dictum, quia per illud Deus laudatur, Bellarmino interprete de missa, lib. 2. cap.21.7. Licet presbyter ante consecrationem steterit, nunc tamen peracta consecratione genu flectit: & pag.104. dicit; Comesam esse Christi carnem, & ebibitum sanguinem, ac precatur, ut corpora nostra per ejus corpus mundentur, ac animæ in sanguine ejus laventur; phrases admodum crassæ sunt hæ, cum tam crude sine ulla omnino explicatione aut distinctione à Pontificiis erroribus, proponantur. 8. Episcopus aut presbyter officians jubetur in utraque specie communionem primum recipere priusquam populo tradat, pag. 210. Ubi primum, Papismum redolet vox *Species*; quasi elementorum materia, panis vid. & vini, vere non manerent post consecrationem. 2. Videtur etiam redolere consumtionem sacrificii, in qua formam ejus poni contendit Bellarminus. De missa lib.1. cap.27. nam hic peragitur sacrificium & à presbytero consumitur, priusquam admittatur populus. 9. In liturgia baptismi infans baptizatus cruce signatur; nonne hoc est additamentum mere humanum, & ritus symbolicus nullo Christi mandato, institutis ejus superadditus? semen etiam est horrendæ idololatriæ inter Pontificios, quam ecclesia hæc hoc nomine expresse abjuravit. 10. Qui matrimonii vinculo conjunguntur, jubentur pag.244. genu flectere coram mensa seu altari Dominico; quid, quæso, hoc aliud est quam quod in solennibus matrimonii jubet Rituale Romanum?

Denique liber hic nobis obtrusus in multis Anglica liturgia pejor & corruptior est. Nam 1. multo plures sancti in Calendario nostro ponuntur, quam in Anglico. 2. Ante communione liber Anglicus hortatur omnes præsentes ut pauperum memores sint, cujus exhortationis loco, sententias quasdam ex offertorio Romano depromtas recitari jubet noster. 3. Licet quædam sint in Anglico sententiæ, quibus ad eleemosynam excitetur populus, omnes tamen sunt ex novo testamento fere desumtæ, & de eleemosyna tantum loquuntur, ita ut nihil periculi sit, ne ad alienam oblationem detorqueantur; noster vero multas profert veteris testamenti sententias, quæ tantum intelliguntur de sacrificiis & oblationibus Leviticis. 4. In Anglico jubetur populus precari, ut Deus eleemosynam hanc sui populi sibi acceptam esse velit; & cæt. Noster vero superaddit gratiarum actionem pro iis qui in fide

mortui sunt, & cæt. & sic magis accedit ad missam pontificiam, pro-ut supra observatum fuit. 5. In Anglico mensa Dominica in medio navis templi aut sacrarii ponitur, noster vero jubet locari situ altaribus consueto, intra sacrarii cancellos quibus removetur populus, ita ut orientalis ejus pars sacrarii extrema contingat. 6. In Anglicana liturgia post orationem consecrationis elementorum S. cœnæ, jubetur presbyter communicare & populo statim tradere: at in hac nostra, post orationem consecrationis, (longe diversam ab Anglica) secundæ oblationis oratio sequitur, ad ideam Missæ. 7. In Anglica presbyter panem populo tradens jubetur dicere: Accipe & ede in memoriam quod Christus pro te mortuus sit, fide illum edito in corde tuo cum gratiarum actione; quæ aurea sententia transsubstantiationis jugulum secans, hic in nostra prorsus omittitur, quia scil. in Canone missæ non exstat: idem observandum etiam in traditione poculi. Liturgia Anglica habet; Bibe hoc in memoriam sanguinis Christi pro te effusi, & gratias agito: Quæ verba in nostra non reperiuntur, quia non in missa Romana. 8. Anglica jubet elementa tradi in manus populi, nostra illud delet: & sic quid vetabit, quin communicantium ori ingerantur? 9. Anglica jubet utrumque elementum in populi manus tradi; nostra vero nihil prorsus loquitur de utriusque elementi traditione, contenta dixisse, populus suo ordine communicet: hoc est, removeri oportet laicos ut vulgus profanum extra sacrarium, ea de causa cancellis septum; ac quid si innuatur alium esse ordinem populi communicaturi à clericis non solum ratione loci, sed ratione communicationis sub utraque specie, ut Pontificii loquuntur: Non sine causa tale quid propositum fuisse libri nostri architectis suspicamur; nam diserte hactenus declararunt, fundamentum nullum esse in sacra scriptura, quo superstrui possit participatio in cœna Domini sub utraque specie: ad traditionem refertur ab Eliensi episcopo Whito, libro nuper impresso, de Sabbatho pag. 97. & expresse Montacutius episcopus, in originum libro pag. 396. Ubi (inquit) jubentur in Scripturis infantes baptizari, aut in cœna Domini sub utraque specie communicantes participare? de his possumus profiteri, nihil tale docet scriptura, scriptura hæc non prædicat. Nonne merito metuendum nobis est, ne ex consulto utriusque elementi traditionem omiserint, ut immani huic sacrilegio in posteriori libri hujus editione viam parent? 10. In nostra liturgia, reliquiæ panis consecrati operiendæ sunt *Corporali*, & mensa Dominica decoro tapete instruenda est: horum vero in Anglica nulla prorsus mentio. Neque vox *Corporale*, quæ lintea quibus elementa teguntur, significat, unquam in ecclesia audita ante natam transsubstantiationem. 11. In Anglica liturgia universa fidelis populi eleemosyna pauperum ærario imponi jubetur; at in nostra jubetur dividi, cujus altera semissis cedit presbytero. 12. Noster liber mentionem facit oblationis panis & vini, de qua in Anglico altum silentium. 13. Noster panem azymum rotundum probat, cum Anglicus fermentato & ordinario uti jubet. 14. Anglicus liber jubet reliquias elementorum ad Curati ædes deferri, easque pro ordinario & vulgari pane & vino habet: noster vero vult reliquias illas ut sacras in ipso templo consumi. 15. Quod si elementa consecrata populo communicanti non suffecerint, noster jubet alia de novo consecrari; non sic Anglicus. 16. In prima oratione Baptismi hæc senten-

ſententia exſtat in libro hoc nobis obtruſo, *fontem hunc baptiſmalem ſanctifica,* quæ in Angl. deeſt. 17. Ibidem in margine libri noſtri, jubetur aqua fontis baptiſmalis ſingulis menſibus bis renovari, & tum ſolenni verborum formula conſecrari: utrumque in Anglico deeſt.

Animadverſiones in librum Canonum ab Epiſcopis obtruſum eccleſiæ Scoticæ.

1. Liber hic Canonum obtruditur ſine ullo eccleſiæ conſenſu & approbatione in ſynodo nationali, cum tamen hierarchici ipſi fateantur Canones eccleſiaſticos nullibi unquam conditos fuiſſe quam in ſynodis eccleſiaſticis. D. Lancelotus Andreas, Epiſcopus Wintonienſis, in concione de tubis, edita & reviſa, ac cum cæteris ejuſdem concionibus Regi ſereniſſimo dedicata per Gulielmum Epiſcopum Londinenſem, nunc Cantuarienſem: & ordinaria praxis eccleſiæ Anglicanæ in domo Convocationis, quæ ſynodi nationalis apud eos vicem ſupplet, idem docet. 2. Uno ictu univerſam eccleſiæ hujus diſciplinam, & acta ac decreta octoginta plus minus ſynodorum nationalium penitus ſubvertit: ac in ejus locum novam diſciplinam ſubſtituit, ab epiſcopis ſolis, remotis omnibus presbyteris, formatam, qua mera tyrannis Epiſcoporum Diœceſanorum in omnes eccleſias ſtabilitur, & quibus conceditur facultas irrefragabilis omnia in eccleſia pro arbitrio circumagendi. Adde quod libro hoc aperte contradictoria contineantur, ac quædam municipalibus regni legibus diſerte adverſantia, ac errores quoſdam graves.

Diſciplinam receptam & canonibus ſynodalibus, ac legibus regni ſancitam ſubvertit. 1. Dum interdicit presbyteris, & Laicis, ne cauſas ullas eccleſiaſticas tractent; cap. 8. parag. 4. unde ſequitur, abrogandas eſſe ſeſſiones ſeu conſiſtoria, presbyteria ſeu claſſes; neque concedendum eſſe laicis quibuslibet, licet eccleſiarum ſenioribus, & ab eccleſiis ad ſynodos rite ac legitime deputatis, jus ſuffragii in ſynodis. 2. Nullam prorſus mentionem facit cujuslibet ſynodi, præterquam Diœceſanæ, in qua tantum regnabit Epiſcopus, & pro cujus arbitrio indicenda eſt: Exercitium etiam ſpiritualis juriſdictionis in commiſſarios ſeu officiales Epiſcopi, in ſolidum transfert, quaſi vero officiales illi eſſent à Chriſto inſtituti miniſtri eccleſiaſtici cap. 19. parag. 1. 3. Interdicit aliis omnibus eccleſiaſticorum conventibus pro rebus eccleſiaſticis cap. 8. parag. 2. 3. Semel quidem ſed ex obliquo, quaſi authoribus incogitantibus excidiſſet, mentio fit Nationalis ſynodi; ſed altum eſt ſilentium, quænam ejus membra ſint, unde haud male quis colliget, Epiſcopis ſtatutum ſe ſolos eſſe legitima ſynodi illius membra: nam ſynodus nationalis eccleſias illius nationis repræſentat, & Epiſcopi ſe hactenus exornarunt elogio eccleſiæ repræſentativæ. 5. Ordinem Diaconorum pro-ut à Spiritu S. inſtituitur, & ab hac eccleſia receptus fuit, penitus rejecerunt, & in eorum locum œconomi quidam ab Epiſcopis eligendi, (ſtirps prorſus novella, Scotis ne vel de nomine cognita) aſſumuntur.

Poteſtatem omnem, imo & tyrannidem Epiſcopis largitur. Nam 1. eis ſolis, aut eorum Capellanis, attribuitur facultas examinandi promovendos ad S S. miniſterii functionem. cap. 2. parag. 3. 2. Epiſcopi eſt literas dimiſſorias concedere paſtoribus. cap. 2. parag. 5. 3. Ejus ſolius eſt ordinare paſtores. cap. 2. parag. 7. 4. Poteſt Epiſcopus concedere facultatem paſtoribus non reſidendi ad eccleſias ſuas.

cap. 3. parag. 1. cum tamen residentia sit de jure divino. 5. Interdicit pastoribus ne alibi quam in suis ecclesiis concionentur, quæcumque demum extraordinaria occasio sese offerat, aut necessitas urgeat, nisi primum facultatem ab ordinario loci (sic Episcopum vocant) obtinuerint. cap. 2. parag. 2. 6. Episcopus potest dispensationes concedere pastoribus, qua liberentur à catechizandis rudibus ecclesiæ suæ. cap. 3. pag. 6. 7. Interdicit pastoribus, ne hæreses & errores quoslibet, ab aliis pastoribus publice licet propositos, refutet, nisi facultatem à Diœcesano obtinuerit. cap. 3. parag. 7. & quid si eosdem errores foveat Episcopus, silendum erit orthodoxis pastoribus, & pereundum populo. 8. Licet statuta civilia, aut ecclesiaitica semel sancita sint iniquissima; interdicitur tamen pastoribus, cap. 3. parag. 8. ne iis contradicat, sed scrupulos suos Episcopo proponat, ejusque determinationi modeste acquiescat. 9. Nulla demigratio conceditur pastoribus de ecclesiis ad ecclesias, cap. 4. parag. 4. quæcunque demum utilitas & ædificatio populi urgeat, nisi per episcopum. 10. Potest episcopus facultatem concedere celebrandi matrimonium, licet Bannarum trinundina denunciatio non præcesserit. 11. Episcopi est indicere locum & tempus synodorum. 12. Ejusdem est præceptores scholis, & lectores ecclesiis præficere. 13. Typographis interdicit, ne quidlibet imprimant sine facultate visitatorum, hoc est, Episcopi ejusque Capellani. cap. 12. parag. 1. & quid si heterodoxias illi foveant; nonne ad perpetuum silentium orthodoxa scripta damnabuntur? aut saltem exspectandum erit, donec fato defunctus Episcopus orrhodoxus in cathedram ejus succedat, quod vix sperandum esse præteriti temporis experientia demonstrat. 14. Catalogum baptizatorum, matrimonio conjunctorum, præsertim vero demortuorum, à quibus spes lucri Episcopis affulget per approbationem seu confirmationem testamentorum, ad Episcopum quotannis transmittere jubetur presbyter. 15. Episcopi est in suæ Diœceseos ecclesiis jejunia indicere. cap. 14. §. 1. Ita ut nisi consentiat episcopus, nefas sit publicis jejuniis & precibus gravissimam Dei iram imminentem deprecari. 16. Episcopi est designare, ubi & quomodo ponenda sint templorum pulpita, quæ decora esse oportet. cap. 16. §. 5. hoc est, Episcopo conceditur facultas imperandi lectionem Euangelii de superiori pulpito: quia illud dicunt quidam, aliis omnibus S. scriptura partibus magis sacrum esse, propter contactum scil. oris Christi: & de inferiori pulpito alias omnes scripturæ partes: & quid, si per illam pulpiti decentiam astringamur ad ligneum pulpitum, propter symbolicam significationem crucis Christi, juxta Amularium. lib. 3. De divinis officiis. 17. Episcopi est providere de bonis omnibus piis usibus dicatis, eique tradentur scripta omnia quæ ad hæc bona pertinent; cap. 17. §. 5. 6. 10. & quis pro fide Episcopi spondebit, ac nobis Episcoporum avaritiam expertis persuadebit, à sacrilegio immunes futuros; aut si rei agantur hujus sceleris quomodo convinci poterint, cum facile illis erit scripta illa supprimere? Itaque ut hic sibi optime cavisse videntur, sic in manifesto crimine deprehensis prospexerunt: nam nullam aliam in sacrilegos pœnam statuunt. cap. 17. §. 1. quam restitutionem. 18. Interdicit ne sententia excommunicationis in quemlibet proferatur, nisi chirographo episcopi prius obsignetur, cap. 18. §. 3. Aliter certe Christus ecclesiæ suæ consuluit. Matth. 18. 17. Dic ecclesiæ: Nisi forte

Epi-

Episcopus solus ecclesiam repræsentet ut princeps regnum. 19. Interdicitur ne excommunicati satisfaciant ecclesiæ aut absolvantur, nisi ex consensu & beneplacito Episcopi; quam apposite, nam ejus est solvere; cujus est ligare. 20. Episcopus potest facultatem concedere conversandi cum excommunicatis; cap. 18. §. 5. An hoc non est facultatem concedere dispensandi cum lege Christi? 21. Interdicit ne sententia depositionis contra presbyterum proferatur per ullum alium quam Archiepiscopum aut Episcopum Diœceseos: & sic cautum est profanis & heterodoxis, modo Episcopum benevolum habeant, quem raro adversarium experientur, si acres cerimoniarum defensores se gesserint, pro-ut ecclesiarum frequentissima gravamina hodie clamant. 22. Episcopi est decernere, quo habitu vestiendi sint Decani, doctores, presbyteri, Diaconi & reliquus clerus: quisnam vero ille futurus sit, haud difficile est divinatu; nam cum urgeant libri hi conformitatem cum ecclesia Anglica, vestitus ille clericorum idem erit cum eo qui in Canone 74. Anglicarum constitutionum imperatur, & si quid ad plenum cum Pontificiis syncretismum in vestitu sacro apud Anglos deerat, nostri episcopi, in melius scilicet indies proficientes, liberaliter addent; & sicuti missam fere totam reposuerunt, vestitum etiam missaticum cur omitterent? nam turpe esset devorato bove in cauda hærere, & camelo absorpto percolare culicem. 23. Denique quasi tæderet episcopos, potestatis suæ rapidum torrentem intra ullos omnino limites contineri, cap. 19. §. ultimo: potestatem sibi assumunt pro arbitrio pœnas infligendi eorum canonum violatoribus, qui nulla speciali pœna sanciuntur: & hunc colophonem superbo huic ædificio superimponunt: ac si quid desit, hoc supplemento coronant: Omnium porro summa est, Episcopos posse judicare omnes, sed à nemine judicari.

Tertio. Liber hic contradictoria quædam continet. Nam summariam excommunicationem, hoc est, quæ citationibus non præcedentibus fertur, damnant, cap. 18. §. 2. cum tamen cap. 8. §. 4. qui synodis contradixerint, earumque decretis non acquieverint, qui rubricam, canonem, verba librorum horum, videlicet canonum, liturgiæ, ordinationis, homiliarum (ex quibus solus liber Canonum tum typis commissus prostabat) mutaverint, ipso facto excommunicari declarantur: Dein Residentiam presbyteris injungunt, & tamen cap. 10. Curari inter legitimos ecclesiæ ministros recensentur: quorum nullus alius usus esse potest, quam ut pastoris absentis & non residentis vices suppleant.

Quarto. Liber hic quædam continet diserte adversantia municipalibus regni legibus. Nam cap. 7. §. 6. Parti innocenti post legitimum divortium interdicuntur secundæ nuptiæ, vivente adultero. Cum tamen reditus ad nuptias statuto parlamentari sanciatur: Dein cap. 17. §. 7. Pastores sine liberis morientes adstringit, ut magnam bonorum suorum partem, licet à majoribus hæreditario jure transmissa possideat, testamento leget in pios usus, quod multi nihil aliud esse credunt, quam ut in ærarium episcopi conferantur, quippe quod illi soli commissa sit suprema ejusmodi bonorum cura; neque sit qui ad rationes reddendas adigere cum aliquo operæ pretio possit: Sed quicquid sit de administratione: ipsum illud decretum excedit omnem potestatem, quam reges nostri unquam sibi in liberos subditos vendicarunt, & Episcopos constituit Dominos bonorum & fortunarum, quæ alii legitime possident tan-

quam propria; in quæ nulli alteri jus quodlibet est: ac communi & recepto juris nostri axiomati repugnat, statuentis, ultimam ingenuorum hominum morientium voluntatem esse liberam.

Quinto. Gravissimos aliquot errores continet, inter quos sunt hi. Episcopum posse licentiam concedere conversandi cum excommunicatis: quod adversatur mandato Christi, Matth. 18. 17. Sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus; & Apostolorum sæpius: 2. Posse licentiam non residendi pastoribus concedere, cum tamen jure divino, si fidi pastores esse velint, residere teneantur. 3. Reditum ad nuptias parti innocenti post legitimum divortium quamdiu adulter maritus vixerit, interdicitur contra Christi expressam mentem, Matth. 5. 32. & 19. 9. quibus locis nuptiæ post divortium permittuntur. Nam si mœchatur qui novam uxorem ducit, nisi repudiata priore ob adulterium; tum, qui repudiata priore uxore ob adulterium, novam duxerit, non mœchatur: nam vis hujus exceptionis, *nisi ob adulterium*, est, ut contrarium supponat in eo quod excipitur. Uti omnes reformatæ ecclesiæ diserte contra Pontificios tuentur, qui eandem matrimonii indissolubilitatem in synodo Tridentina sessione 7. c. 24. decreverunt. 4. Sic loquitur liber, cap. 8. parag. 4. quasi ecclesia hæc Scotica tam in doctrina quam disciplina nondum reformata esset, judicent vel cæci, quam posticam hic sibi aperiant Episcopi, qua impune doctrinam mutare possent; ideoque nullam prorsus mentionem faciunt Confessionis fidei in publicis regni comitiis olim sancitæ. 5. Ordinem satis aperte inter sacramenta refert, cap. 2. parag. 7. Nam quæ ad integritatem sacramenti, (prout supra definivisse Catechismum Liturgicum diximus,) requiruntur, hic invenies, nam ritus externus est manuum impositio: Adest etiam internæ gratiæ promissum, quam per impositionem manuum confertur, Accipe, inquit Episcopus ordinans, Spiritum S. Et cum Dei gratiam ordinandis precentur, oportet promissum exstare, si preces ex fide esse vellent: Divinam etiam institutionem vendicant, quasi Deus instituisset ut per manus Episcopi gratia illa conferretur. 6. Idem de pœnitentia colligere licet, alias, cur ejus partes, uti pontificii vocant, Confessionem & Absolutionem sacramentalem vocarent, vocemque hanc majusculis literis depingi curarent. p. 18. parag. 9. Denique ut fuco speciosiori omnia velarent, Sereniss. Regi nostro adulantur hic Episcopi nostri, libri hujus authores. Nam cap. 1. parag. 2. Quamcunque potestatem in rebus ecclesiasticis pii Reges inter Judæos unquam obtinuerunt & exercuerunt, eandem simpliciter & sine ulla restrictione Sereniss. Regi & ejus successoribus in hac ecclesia tribuunt: unde sequitur Reges nostros sereniss. authoritatem habere consignandi & scribendi libros Canonicos S. Scripturæ: nam nulli ignotum est, Davidem & Salomonem ea munera in ecclesia Judaica exercuisse, & infallibiles fuisse, eatenus saltem, Spiritus S. amanuenses: & cap. 8. parag. 4. Regem ejusque successores statuunt supremos Judices controversiarum omnium ecclesiasticarum tam in doctrina quam disciplina; cum tamen suprema potestas determinandi controversias in qualibet ecclesia sit penes synodum nationalem legitime convocatam & formatam, ut rotunde absque verborum involucris loquuntur Theologi ex magna Britannia à piæ memoriæ Rege Jacobo ad synodum Dordracenam deputati, sessione 29. illius

Synodi, in responsione ad protestationem Remonstrantium.

Animadversiones in librum ordinationis Episcoporum, presbyterorum, & Diaconorum.

1. Liber hic nullo ecclesiarum in synodo consensu praeeunte formatus fuit, neque ulla penitus authoritate ecclesiastica seu civili nititur; licet eo saepius usi fuerint Episcopi. 2. Quod Episcopos tertium ordinem cleri diserte statuat, distinctum à presbyteris. 3. Quod novum ordinem Diaconorum constituat, quibus nulla pauperum cura incumbit, uti prima Diaconorum institutio ab Apostolis Actor. 6. jubet, iisque potestatem concedit praedicandi & baptizandi. 4. Quod promovendos ad ministerium in nova & insolita juramenta adigat, quod est contra expressa regni hujus statuta: neque juramenta ea prius promovendis ostenduntur, quam cum ad momentum ipsum perventum fuerit, quando jurandum illis erit: & sic jurantes non possunt dici jurare in judicio. 5. Quod formam ordinationis pastorum per Episcopum afferat, decreto nationalis synodi niti, quod prorsus falsum est. 6. Quod probationem & examinationem promovendi pastoris ad Episcopum referat, excluso presbyterio seu classe, ad quam proprie pertinet. 7. Quod episcopus manus subito imponat ordinando; quem saepenumero prius nunquam conspexit, neque ipsius dona aut vitam cognitam aliter habet, quam ex perfunctoria relatione Archidiaconi aut Capellani. 8. Quod ordinationis potestatem soli Episcopo attribuat, exclusis omnibus presbyteris, nisi forte admittantur ut testes actionis. 9. Tota forma consecrationis Episcoporum & Archiepiscoporum pontificia est, & ex rituali Romano translata. 10. Episcopos exsortem hanc suam potestatem & jurisdictionem à Deo accepisse dicit. Plurima alia addebant alii perpendenda, tam in hoc quam in aliis libris duobus obtrusis, nam quartus ille Homiliarum nondum compositus fuit.

Quibus maturo judicio perpensis sic de singulis decretum est unanimi synodalium judicio.

De libro liturgiae. Quandoquidem à Pseudo-episcopis formatus & obtrusus sit ecclesiae, sine ulla ecclesiasticae authoritatis specie, & praeter barbaram phraseologiam, ac insolitam cultus divini formam, mere pontificiam, plurimos pontificiorum errores ab ecclesia Scotica jampridem damnatos, ac semina multiplicis idololatriae & gravissimarum superstitionum contineat, quae ex diametro repugnent doctrinae & disciplinae, confessionibus fidei, constitutionibus synodalibus; ac statutis parlamentariis, reformatae religionis professionem sancientibus, ideo liber hic à synodo merito rejicitur ac damnatur, ac severe sub poena censurae ecclesiasticae ejus praxi omnibus hujus ecclesiae membris interdicitur.

De libro Canonum, superaddunt: Destitutum esse ecclesiastica authoritate Pseudo-episcopos in illo, laudabile ecclesiae regimen, & disciplinam verbo Dei conformem, & ab ipsis reformationis primordiis non sine singulari Dei benedictione hactenus constanter usitatam, uno ictu subruere, ac exoticam disciplinam ejus loco substituere, ac sibi assumsisse tyrannicam dominationem in cultum Dei, conscientiam, libertatem, & fortunas omnium; ideoque à se rejici, ac damnari.

Librum ordinationis, declarat synodus destitutum esse tam civili, quam ecclesiastica authoritate: officia quaedam & munera ecclesiastica in ecclesiam, Dei Domum introducere tan-

quam divina, quæ à Deo tamen nunquam instituta fuerunt, & ecclesiasticæ disciplinæ legibus hic receptis contraria sunt, impedire fidelium & idoneorum pastorum promotionem ad S S. ministerii munus, utpote quod promovendos adigat in juramenta illegitima: ideoque rejici ac damnari declarat.

Ad examen etiam vocatum fuit Tribunal, vulgo Curia celsæ commissionis; cujus erectione, jurisdictionem omnem ecclesiasticam subverti, & interturbari declarat; ac tribunalia omnia confundi, ac misceri; In ea sententiam non ferri secundum constitutiones Ecclesiasticas (licet supremi fori ecclesiastici speciem mentiatur) nec leges regni municipales: quod legibus regni fundamentalibus repugnat, Jacob. 1. parlam. 3. statut. 48. & Jacob. 4. parlam. 6. stat. 79. quibus expresse cavetur, ne aliis quam regni legibus municipalibus regantur subditi. In ea ecclesiasticis concedi utriusque gladii tam civilis quam ecclesiastici; ac mere Politicis, ecclesiasticæ disciplinæ & clavium potestatem. Tribunal esse extraneum, sine ecclesiæ & ordinum regni consensu erectum, ad tyrannidem episcopalem stabiliendam.

In iisdem Actis exstat comparatio veterum & hodiernorum Episcoporum; quam cognoscere utile erit.

Digressio, qua veteris & hodierni Scotici episcopi dissimilitudo varia ostenditur; seu Antitheses variæ inter veteres & hodiernos Scotiæ Episcopos.

PORro cum hodierni Episcopi toties inculcent singularem pietatem, prudentiam, doctrinam veterum Episcoporum, quasi ab iis genus ac originem deducerent, & per suum latus confodi clamitent veteres illos heroes, quasi hodiernus Episcopatus impugnari non posset, quin eodem telo petantur sanctissimi illi viri, ecclesiæ splendidissima lumina Christianæque reipubl. firmissima columina, Ignatius, Polycarpus, Cyprianus, Athanasius, Augustinus, Ambrosius, aliique complures: Age, digressiuncula hac instituatur comparatio inter veteres illos & hodiernos episcopos: nam ab illis ad hoc concludi nequit nisi primum ostendatur hodiernos Episcopos priorum illorum veram effigiem & imaginem reddere: quod si vero dissimilitudo sit multiplex, nec ulla antiqui *Præsidis Episcopi* lineamenta in hodierno *Principe Episcopo* appareant, præter solum Episcopi nomen; manifestum erit, quam futili commento dignitatem suam tueantur, ac quam fallaci impostura fallant. Tertiam columnam paralleli hujus facerent Episcopi Pontificii, nisi labore hoc nos liberassent hodierni Episcopi, qui nullam aliam differentiam inter se & Pontificios episcopos, quantocumque fuit acumine excogitare possunt, quàm quod hi à Pontifice Romano dependeant; cui nostri videri volunt nuncium remisisse; Etenim perspicua sunt quæ Archiepiscopus Andreapolitanus in epistola dedicatoria præfixa refutationi libelli de regimine Ecclesiæ Scoticanæ, in hanc rem diserte loquitur: omnia etiam argumenta eorumque amplificationes de verbo fere in verbum à Pontificiis mutuantur decertantibus de dignitate & jurisdictione ac privilegiis suorum Episcoporum.

Dissimilitudo veterum Episcoporum ab hodiernis.

1.

Veteres.	*Hodierni.*
P*Ræsides tantum fuerunt presbyteriorum: neque sex presbyteros vo-*	VOlunt esse principes cleri, & presbyteri appellationem ut di-

cari

cari indigne ferebant: utpote quod tum nomina presbyteri & episcopi indistincta fuerint; *ut testatur Hieronymus ad Oceanum: quod non negat Georgius Dounamus in concione de Episcopatu & presbyterio: & Irenæus in epistola ad Victorem apud Eusebium lib.5.c.24.* Pontifices Romanos, Anicetum Pium, Hyginum, presbyteros vocat: *neque sibi Episcopi nomen ita vendicabant, ut ad reliquos presbyteros non extenderetur; nam Gregorii Nazianzeni seculo, hoc est, anno Christi* 370. (*uti in oratione post suum in urbem reditum testatur*) *episcopi nomen præsidibus illis specialiter attributum vocat* Novum: *& Augustinus epistola* 19. *ad Hieronymum*, usu & consuetudine Ecclesiæ, qui tum recens obtinuit, *nomina illa distincta fuisse, neque se solos Apostolorum successores exclusis presbyteris dicebant. Nam sicuti in gradu extraordinaria functiones nullos habuisse Apostolos successores agnoverunt; ita in potestate tota ordinaria pastoralis ministerii reliquos presbyteros Apostolis successisse testatum reliquerunt. Ignatius ad Trallianos*, cœtum presbyterorum *vocat* conjunctionem Apostolorum Christi. *Irenæus lib.* 4. *cap.* 43. *dicit*, presbyteros in ecclesia ab Apostolis successionem habere. *Cyprianus lib.* 4. *epistola* 9. Omnes Præpositos (*quorum nomine presbyteros solet comprehendere; nam eorum plures uni ecclesiæ assignat*) vicaria ordinatione Apostolis succedere. *Hieronymus in* 2. *cap. Michea, citatus à Gratiano in decretis distinct.* 35. *cap. Ecclesia. licet presbyter tantum esset, tamen de se loquens*, si in Apostolorum (*inquit*) loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed etiam conversationem, & abstinentiam. *Denique Augustinus serm.*36. *ad fratres in Eremo, eosque presbyteros:* Vos (inquit) estis sal terræ, Apostolorum successores.

gnitati & pompæ inferiorem fastidiunt, & sibi solis episcoporum nomen arrogant, seque solos Apostolorum successores jactitant.

2.

Veteres.

Olim Episcopi eligebantur per clerum, seu totum presbyterorum collegium: Hieronimus in epistola ad Evagrium. Alexandriæ à Marco Euangelista usq; ad Heraclam & Dionysium Episcopos presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant, *& necesse fuit ut accederet populi consensus. Cyprian.l.*1.*epist.*4. *nomine synodi Africanæ.* Videmus de divina authoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur. *Et ibid.* Diligenter de traditione divina & Apostolica observatione tenendum est, quod apud nos quoque & fere per

Hodierni.

Sic eliguntur. Cum Regi significatum fuerit per Decanum capituli, Diœcesin orbatam esse Episcopo, obsignato diplomate concedit capitulo facultatem eligendi, & simul mittit literas quibus nominat episcopum eligendum. Atque sic capitulo nihil aliud relinquitur quam umbratilis quædam & imaginaria nominati electio. Denique sic electum comprobat, ac mandat Archiepiscopo, ut eum in Episcopum consecret: Hac ratione Episcopi sæpius obtrusi, qui provincialibus suis prorsus incogniti vel de facie; aliquando gregis sermonem non intelligunt, ut in Episcopatibus Argatheliensi, Insularum, Rossensi, & Catanesiæ sæpius usu venit.

pro-

provincias universas tenetur, ut, & cæt. Episcopus deligatur, plebe cui ordinatur præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Sic Cornelium Romanæ Ecclesiæ Episcopum electum fuisse testatur *idem Cyprianus lib.* 4. *epistola* 2. *& Sabinum in Basilidis locum successisse, lib.* 1. *epist.* 4. *& Fabianum Romanum Episcopum, annotantibus Magdeburgicis in centuriis historia Ecclesiastica. Gratianus distinct* 62. *can. Nulla.* Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur qui nec à clericis sint electi, nec à plebibus expetiti. *Sic electus fuit Ambrosius à civibus Mediolanensibus, & Flavianus ab Antiochenis, & Chrysostomus à Constantinopolitanis: Porro usque adeo religiose observatus fuit hic electionis mos, ut cum postea Imperatores Episcopos obtruderent nulla cleri & populi electione præcedente, indignissime tulerint episcoporum doctissimi.* Ubi ille canon, *inquit Athanasius*, ut à palatio mittatur is qui futurus est Episcopus, *in epistola ad solitariam vitam agentes: Non negandum quin imperatoribus & regibus ad fidem Christianam conversis suæ partes fuerint in Episcoporum electionibus, eosque assensum præbuisse Episcopis rite electis, uti in Chrysostomi electione factitatum fuisse testatur Sozomenus, lib.* 8. *cap.* 2. *verum sui juris totam electionem fecisse, nullibi legitur apud puriorum seculorum scriptores: Tandem Caroli magni & Ludovici filii seculo, electio post multas quas multorum πραγματεία passa est corruptelas, ad primitivam suam formam revocatur. lib.* 1. *cap.* 84. *Capitulum illud continetur in Gratiani decretis. Distinct.* 63. *Can. Sacrorum.* Sacrorum Canonum non ignari, ut Dei nomine sancta ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini ecclesiastico præbemus, ut Episcopi per electionem cleri & populi secundum statuta Canonum de propria Diœcesi (remota personarum & munerum acceptione) ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subjectis usque-quaque prodesse valeant.

3.

Veteres.	*Hodierni.*
Olim qui cleri & populi suffragiis electi fuerunt, ad Episcopatum ab aliis episcopis promovebantur; aliquando à meris presbyteris: & si concedatur Timotheum fuisse ordinarium Episcopum; consecratio tamen non fuit per Archiepiscopum, nec Episcopum, sed per cœtum presbyterorum. 1. *Tim.* 4. 4. Ab Abbatibus insulæ S. Columbani, qui Presbyteri tantum fuerunt, refert Beda histor. lib. 3. cap. 5. Episcopum electum & missum fuisse Arcanum.	Sic electi conferunt se ad Archiepiscopum, à quo solo consecrari possunt.

4.

Veteres.	*Hodierni.*
Nullam aliam agnoverunt consecrationem seu ordinationem, quam quæ presbyterorum esset. Episcopi & presbyteri una & eadem est ordinatio, *inquit Ambrosius, in* 1. *ad Timotheum cap.* 3. *& Albinus Alcuinus (natione Scotus, qui floruit favore & gratia Caroli magni, ad quem ab Achajo Scotorum rege missus fuit circa annum* 800. *& cujus opera apertæ primum fuerunt Academiæ, Parisiensis in Galliis, & Ticinensis in Italia: hic) libro* 3. *De divinis officiis sic loquitur.* Qualis autem esset antiquitus consecratio Episcoporum, ostendit Hieronymus in epistola ad	Diversam habent consecrationem à presbyteris: quia ordine differre se dicunt à Presbyteris.

ad Evagrium, Alexandriæ, inquiens, à Marco Euangelista usque ad Heraclam & Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatumEpiscopum nominabant, quomodo si exercitus imperatorem faciat, & Diaconi eligant de se quem industrium noverint & Archidiaconum vocent: Archidiaconus vero eandem consecrationem habet quam cæteri Diaconi, sed electione fratrum præponitur: *ergo eandem olim habebat Episcopus consecrationem, quam presbyteri.*

Quod ad ritus & cerimonias in consecratione usitatas, iidem fere prorsus sunt cum iis qui in papatu adhibentur, quos antiquis illis Episcopis prorsus incognitos fuisse, hospes prorsus in historia Ecclesiastica est, qui ignorat.

5.

Veteres.	*Hodierni.*
Nullam singularem potestatem in ordinationibus pastorum sibi arrogabant: nam nec nominabant per se excluso clero & populo ordinandum: sic Ambrosiũ plebs Mediolanensis Episcopum nominat cujus postulatis acquieverunt præsentes Episcopi. *Theodoretus histor. eccles. lib.* 4. *cap.* 6. *Sic Augustinum Episcopum sibi præponi postulat Hipponensis Ecclesia Valerio Episcopo præsente, Possidon. in vita Augustini. Et Augustinus ipse maxima licet authoritatis, nihil tamen egit solus pro imperio in nominatione Eradii, quem sibi successorem cupiebat: nam ipse testatur epistola* 110. Populum sibi adsedisse in negotio hoc peragendo, & Eradium adstitisse: *& Petrum à Clero & populo Alexandrino per suffragia nominatum fuisse refert Theod. histor. eccles. lib.* 4. *cap.* 20. *Et à Gratiano in decretis relatum dist.* 63. *can. plebs:* Decrevisse Gelasium Papam ut ad electionem sacerdotum ex singulis parœciis & Presbyteri & Diaconi & universa turba convocentur. *Verum quidem est populo praivisse Clerum, actionemque totam direxisse præsidem; interim sibi soli nominationis & electionis quæ prima ordinationis pars est, jus non transscripsit. Nec Episcopi soli nominatum examinabant, aut de ejus sufficientia judicabant exclusis cæteris presbyteris, Assensusque Ecclesiæ usque adeo necessarius fuit, ut non licuerit Episcopo consecrare nisi post electionem cleri & populi: Secundam ordinationis partem, videlicet initiationem quæ per ritum impositionis manuum, electus in ministerio confirmatur, in solidum sibi non vendicarunt Episcopi; etenim Eusebius histor. Eccles. lib.* 6. *cap.* 43. narrat Presbyteros interdixisse Episcopo, ne Novatum presbyterum ordinaret; Episcopum vero obsecratum fuisse omnes, ut hunc solum χειροτονεῖν sibi permitterent; *quo exemplo patet, in actu hoc ordinationis nihil potuisse Episcopum sine consensu reliquorum presbyterorum: neque initiandi pastores jus, seculo illo in universum presbyteris ademtum fuisse: & Ambrosius in Ephes. cap.* 4. *& Augustinus vel author quidam antiquior lib. quæstionum veteris & novi Testamenti, quæst.* 101. *sua adhuc memoria testantur,* Presbyteros in Ægypto ordinasse; seu consecrasse vel consignasse: *quod intelligi non potest de consecratione eucharistiæ, quam nemo dubitat quin omnes ubique pastores possent non in Alexandria modo &*	Singularem ordinationis presbyterorum potestatem, excluso clero, sibi solis vendicant, atque hanc sibi maxime peculiarem & propriam, non fratrum presbyterorum voluntario consensu, sed jure divino, aut saltem Apostolico: ideoque impositione manuum in ordinatione, gratiam internã conferri dicunt.

per totam Ægyptum : *In concilio Carthaginensi 4.can.22. Decretum,* ut Episcopus sine clericorum suorum consilio clericos non ordinet. *& can.* 3. Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente aut manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manus Episcopi super caput illius teneant: *neque hoc decretum esse ut actioni gravitas quædam concilietur, aut ut ordinando animus adderetur; sed necessario fieri debere præcedentia ostendunt. Exstat Canon concilii Ancyrani.* Chorepiscopis non licet Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed nec presbyteris civitatis sine præcepto Episcopi in unaquaque parœcia: *ex quo colligi potest, antea licuisse presbyteris civitatis in aliena parœcia ordinare; sicuti olim licebat Chorepiscopis, quos presbyteros solum fuisse asserunt Hierarchici. dein non cohiberi, ne in propria parœcia ordinent. Tertio, venia Episcopi posse: ergo ritus ordinationis seculo illo ad solos episcopos non pertinebat. Denique ex prædictis patet, Episcopum peregisse ritum illum totius presbyterii nomine, eum presbyterorum primus esset, sicuti in collegiis politicis solent ii, qui ordine ex omnium consensu primi sunt, partes quadam demandari, quibus tamen non ex proprio arbitratu, sed praeunte collegarum judicio defunguntur. Et quid quæso est illa manuum impositio aliud, nisi* oratio (rectius ritus orationis) super hominem, *Gratianus in Decretis. caus.* 1. *quæst.* 1. *cap. manus ex angust. hanc autem orationem presbyteris tum illicitam fuisse, cui erit credibile, quandoquidem* presbyteri in benedictione cum Episcopis consortes ministeriorum sunt; *ut inquit author epistolæ de septem ecclesi. ordinibus. Si quis objiciat can.* 6. *concilii 2. Hispalensis; quo dicitur* Episcopum sacerdotibus & ministris solum dare posse honorem, *id est, ordinare. Respondebit Gratianus in Decretis, caus.* 15. *quæst.* 7. *can. Si autem.* Per illud *Solum* excludi alios Episcopos, non proprium clerum. *Adde quod concilium illud recentius sit, neque in censum veniat illius seculi, de quo jam vertitur controversia. Etenim nullus negat seculo tertio & quarto, ac sequentibus in honorem Sacerdotii ut loquuntur veteres, administrationem ritus illius in ordinatione episcopis principaliter attributam fuisse, unde illud Hieronymi in Epistola ad Evagrium.* Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non facit. *Nam testimonium Chrysostomi hom.* 11. *in* 1. *Timoth. quod toties ab hierarchicis reponitur, corruptum plane est; & licet ita se haberet, ut volunt Hierarchici; loquitur tamen de sui seculi consuetudine, & privilegium hoc possidere episcopos dicit voluntario presbyterorum consensu: quid hoc ad præsides Episcopos ante concilium primum Nicænum: nam post illud in celebrioribus præsertim ecclesiis episcopi paulatim imperium in ecclesias sibi augebant, non contenti paterna illa prælatione, quam voluntaria presbyterorum concessione obtinuerant. Ac tum decrevere, ut ordinationes factæ à Presbyteris irritæ fierent; verum à principio non fuit ita. Atque hæc de ordinatione: sequitur dissimilitudo in jurisdictione inter*

6.

Veteres.	& *Hodiernos*
Nullam delegationem internæ hujus jurisdictionis ab Episcopis ad Presbyteros agnoverunt: nam Ambrosius in 1. *Tim.* 5. *& Chrysostom. hom.* 17. *in*	Jurisdictionem in foro interno, seu in foro conscientiæ, presbyteris quidē competere dicunt, sed commissam tātum & delegatam ab Episcopo, cujus

Matth,

Matth. disertè vocant presbyteros, Christi vicarios, *&* *Cyprian. lib.4. epist. 8. dicit :* Dominum sacerdotes sibi in sua Ecclesia eligere & constituere dignatum esse : *Nam Deus est Dominus messis, & ille operarios in messem emittit, hinc à Deo constituti in Ecclesia, à Christo dati dicuntur, legationeque Christi nomine non Episcoporum fungi referuntur: Verum quidem est ab hominibus ordinatos esse, facultatem tamen & authoritatem ministrandi Ecclesiæ à Deo habent; cujus sunt œconomi: quare nunquam invenies veteres illos Episcopos, appellantes presbyteros quibus praerant, legatos suos; etenim cum se solum Christi legatos agnoverint, & vero delegatus non potest subdelegare, videl. in iis muneribus quæ peritiam & fidem requirunt; uti in jure Canonico sæpius repetitur; absurdum fuisset Presbyteros, suos indigitasse legatos; Quod si collegas agnoverint, tum totius diœceseos pastores non fuerunt : neque ita circumscribebant presbyteros, ut non licuerit eis exercere actus pastorales seu presbyterales sine ipsorum venia. Clara sunt quæ habet author quisquis est, epistola de 7 Ecclesiæ ordinibus.* Nemo hinc (inquit) Episcoporum diabolicæ tentationis invidia inflatus, irascatur si presbyteri in Ecclesiis prædicent, si plebibus ut scriptum est benedicant. Etenim abnuenti mihi ista sic dicam : Qui non vult presbyteros facere quod jubentur à Deo, dicat quis major est Christo. *Mandatum illud Christi, Ite, prædicate,* &c. *Matth. 28. presbyteros adæque ac Episcopos includere, nullus unquam negavit ; Missio autem hæc seu commissio lusoria prorsus esset, si non liceret exercere id, ad quod presbyteri committuntur : ac qui secus sentiunt, Christum sic quasi loquentem volunt, Iubeo vos prædicare, mitto vos ut annuncietis verbum Euangelii, prædicandi tamen exercitium vobis minime concedo: quo quid dici posset ineptius?*

vicarii sunt, cum ille solus totius Diœceseos pastor sit: Quare exercitium hujus jurisdictionis in foro conscientiæ Episcopis subditum esse volunt, ita ut Presbytero ordinato non liceat concionari aut sacramenta administrare, nisi facultate ab Episcopo prius concessa.

A jurisdictione fori interni ad jurisdictionem externam seu externi fori progrediamur; cujus potestas vel est δογματικὴ, vel διακριτικὴ, vel denique κριτική. quærendum in singulis quæ sit disparitas. Et primum in genere, inter

7.

Veteres *&* *Hodiernos.*

Sibi solis externæ jurisdictionis potestatem non usurparunt, quam sibi cum presbyteris communem dicebant: Ignatius (cujus suppostitia scripta magni faciunt hierarchici) in epistola ad Trallianos, presbyteros vocat senatum Dei, *&* non consiliarios solum, sed & assessores *episcopi : eorumque præsentiam in omnibus deliberationibus usque adeo necessariam, ut iis assensum non præbentibus nihil ordine & decenter peragi potuit ab Episcopo in ecclesiæ guberna-*

Hi omnem externi fori jurisdictionem exclusis presbyteris vendicant sibi solis : ita ut eosdem consulere dedignentur, quod si eorum consilio aliquando utantur, illud non ex necessitate sed libera sua voluntate fieri dicunt, & presbyterorum suffragia tum nolunt esse decisiva, sed solum deliberativa & consultiva, quibus numerandis non astringitur, sed ab ipsius solius arbitrio pendet, num majorem aut minorem partem sequi velit : quod ne quis hoc iis per ca-

tione, uti idem Ignatius epiſtola ad Epheſios loquitur, ſic coaptetur presbyterium epiſcopo, quomodo chordas (*inquit*) in cithara colligatas cernimus; *etenim niſi omnes nervi ab imo ad ſummum recte intendantur, interque ſe conſentiant, incongruum ſonum edet cithara. Irenæus lib.* 4. *c.* 44. *vocat* principes, *Auguſtinus ſerm.* 36. *ad fratres in Eremo.* Patronos & rectores terræ, *Epiphanius contra Ærium negare non poteſt,* ſediſſe in thronis ſicut & Epiſcopi, *quorum etiam mentionem facit Nazianzenus, in oratione habita in laudem Baſilii, qui floruit anno Chriſti* 370. Eccleſiis præſediſſe, ſicut Epiſcopi, *diſerte narrat Chryſoſtomus in* 1. *Timoth. homil.* 11. munuſque docendi & præſidendi eccleſiæ, ſimul accepiſſe *dicit. Cypriani ſeculo extra controverſiam eſt, presbyteros ſimul cum epiſcopis exercuiſſe poteſtatem juriſdictionis externæ,* ipſeque à primordio epiſcopatus ſui ſtatuerat nihil ſua privatim ſententia gerere, ſine presbyterorum conſilio: *atque ad hoc ſe debito & officii vinculo adſtrictum fuiſſe lib.* 3. *epiſt* 10, *indicat.* Cum ad vos per Dei gratiam venero (*inquit ſcribens ad presbyterium*) tunc de iis quæ vel geſta ſunt vel gerenda, ſicut mutuus honor poſtulat in commune tractabimus. *Quod idem eſt cum illis Hieronymi*, Epiſcopos debere in communi cum presbyteris regere eccleſiam. *Et ex eodem Hieronymo Gratianus in Decretis.*

lumniam affictum eſſe calumnietur, ecce Downami ipſius verba non magis (inquit) detrahit Epiſcoporum dignitati uti prudentum & eruditorum conſilio, quam majeſtati regum conſulere prudentes & fidos viros, qui ſunt eis à conſiliis: & quotidianæ ipſorum praxes ab omni mendacii ſuſpicione quam longiſſime hæc abeſſe clamant.

Cauſ. 16. *quæſt.* 1. *cap. Eccleſia, de conſuetudine ſui ſeculi.* Eccleſia habet ſenatum presbyterorum, ſine quorum conſilio epiſcopis nihil agere licet: *Et in epiſt. ad* Evagrium. Quid facit excepta ordinatione epiſcopus quod presbyter non facit? *Notandum inprimis hoc teſtimonium: nam Hieronymi ſeculo, anno* 390. *ambiebant ſingularem hanc poteſtatem quidam Epiſcopi, ſed fruſtra. Hiſce adderem locum quendam ex Chryſoſtomo Hom.* 11. *in* 1. *Timoth. non quod in ſe aliquid firmi contineat, cum vitioſæ interpretationi innitatur; ſed quia quicquid in interpretatione eſt vitii, deglutiunt Hierarchici; locus ſic ſe habet,* τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι. *Sola manuum elevatione ſuperant eos, aut potius* ſuffragio, *quia primus presbyter in* χειροτονίᾳ *reliquis præibat.* Sola (*inquit*) ordinatione ſuperiores illis ſunt, *nempe Epiſcopi: Ergo, argumento ad hominem, Epiſcopis in juriſdictione æquales ſunt presbyteri, iiſque ſeculis cauſarum & litium Eccleſiaſticarum dijudicatio presbyterorum & Epiſcopi communi conſilio peragebatur; neque Epiſcopis competiviſſe vocem* (*ut loquuntur*) *negativam, quæ irrita redderet majoris partis presbyterorum ſuffragia: nam ſic vere regalem & monarchicam poteſtatem exercuiſſent, quæ uti poſſunt principes ſeculares in ſenatu ſuo, nec fuiſſent* presbyterorum collegæ, *pro-ut ſe vocat Auguſtinus, epiſt.* 137. *& Concil. Carthaginenſe* 4. *can.* 35. (*cujus canones hierarchicorum anteſignani, promtuarium vocant Eccleſiaſticæ diſciplinæ ab antiquioribus uſu recepta, & ad priſtinam conſuetudinem revocatæ, quam merito ipſi viderint*) *Duo hic ſunt quæ remoram quandam afferre poſſunt; alterum, videl. Canones frequentiſſimos prohibere,* ne quid tentent presbyteri ſine Epiſcopo: ſine Epiſcopi ſententia, conſcientia, præce-

pto, consensu: *magno certe apparatu objectionem hanc instruunt, quæ sine strepitu facile solvi potest: nam apud eosdem veteres cautum fuit antiquitus,* ut ipse Episcopus nihil faceret absque consensu presbyterorum: *uti in hac sectione superius accepimus: & perspicue in Canone 23. Concil. 4. Carthaginens.* Irritæ declarantur omnes sententiæ Episcopi, quæ præsentia Clericorum non confirmantur: *non tamen sequitur presbyteros eminuisse singulari aliqua potestate supra Episcopum. Sic apud veteres exstat Canon, ne quid in generalibus synodis fieret sine consensu Romani Pontificis; male tamen inde concludere Pontificios Reformatæ Ecclesiæ Doctores omnes tuentur, Authoritatem & supereminentiam jurisdictionis externæ habere Romanum Pontificem supra reliquos Apostolos. Summà, cum perpetua præsidentia uni presbyterorum olim concessa fuerit, iniquum certe fuisset non requirere assensum illius. At istis phrasibus si quis urgeat singularem authoritatem Episcopi ut principis, meminerit similes canones exstare de Episcopis, ne quid faciant nisi consensu presbyterorum: & ut antea dictum, nihil sanciendum esse sine consensu Romani Pontificis: Alterum quod objicitur est πολυθρύλλητον illud Hieronymi adversus Luciferianos.* Nisi exsors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes: *Si quæratur in quibus illa consistat, statim subjungit ibidem,* Inde (inquit) venit ut sine Episcopi jussione neque presbyter neque Diaconus jus habeat baptizandi: *Atque supra vidimus, veteres episcopos ante Hieronymi ætatem illud sibi non vendicasse, & ipse Hieronymus epist. 2. Nepotiæ.* Pessimæ (inquit) consuetudinis est in quibusdam ecclesiis tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui. *Itaque exsors illa potestas in quibusdam tantum ecclesiis obtinuit: an vero laudanda sit, demonstrat, cum* rem pessimæ consuetudinis esse dicit, *& ad Rusticum Narbonens. quod citatur etiam à Gratiano Dist. 95. cap. Gratia.* Episcopos illud sibi arrogantes, *dicit,* Diabolicæ tentationis invidia inflatos esse, *& subdit.* Propterea (*inquit*) hæc scribo, ut si præteriti temporis error non potest jam revocari, vel ad præsens in Ecclesiis servetur humilitas, ut presbyteri hoc in ecclesiis suis faciant quod Romæ, in Italia, in Creta, in Oriente, Cypro, Africa, Illyrio, Hispania, Britannia, quod in omnibus locis ubi humilitas perseverat. *Denique non quæritur, an Episcopis illis antiquis potiores quædam regiminis partes, per se collegis omnibus communes, cedant, quasi propriæ, nam cum ordinis præsidentiæ, regiminis aliqua dignitas necessario cohæret, neque quispiam ordine collegio alicui præesse potest, nisi simul ejus onera aliquot nobiliora omnium nomine in se recipiat: Hoc si quis exsortem potestatem vocet, per me licebit: Sed quæritur, an hac exsorti potestate potiantur necessario, functionis suæ jure, sine collegarum voluntario consensu, hodierni Episcopi affirmant: Hieronymus negat in Commentar. in Tit. 1.* Sicut presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos: ita Episcopi noverunt se magis consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate majores esse, *& Augustinus epistol. 19. ad Hieronym.* Secundum honorum vocabula quæ jam ecclesiæ usus obtinuit, episcopatus presbyterio major est: *Ex quibus patet, neque omnem Iurisdictionis potestatem, neque semper, neque ab omnibus illis Episcopis vendicatam fuisse ut sibi solis propriam exclusis presbyteris: multo minus hac sibi à Christo commissa esse profitebantur, pro-ut hodierni de se jactitant. At-*

que hæc de jurisdictionis potestate in genere: Sequitur ut ostendatur, quænam sit differentia inter veteres & hodiernos episcopos, ratione partium illius jurisdictionis. Et primum de potestate δογματικὴ, quæ versatur in judicandis causis fidei & religionis.

8.

Veteres & *Hodierni.*

Ius judicandi de rebus fidei sibi solis non transscripserunt: sed in presbyteriis & Synodis, cui frequentes intererant, causas eas definendas proponebant. Ruffin. lib. 1. Eccles. hist. cap. 14. refert Alexandrum Alexandriæ episcopum retulisse ad clerum, quid statuendum esset de baptismo per Athanasium puerum inter ludendum administrato. *& Cyprian. epistola ad Quintil. testatum reliquit* presbyteros una cum Episcopis convenisse in synodum, ut sententiam ferrent de baptismo hæreticorum & schismaticorum. Malchion, qui presbyter solum fuit *Antiochenæ Ecclesiæ, non solum interfuit ut judex Antiocheno concilio secundo,*

Vix hic sibi constant, nam aliquando sibi solis omnem jurisdictionem externi fori vendicant, exclusis presbyteris; sic Dunamus in concione. Presbyteri non gubernant populum particularis sui gregis in foro externo, hoc ad majoritatem Episcopalem pertinet: Interim alias concedit locum & sententiæ dictionem presbyteris simul cum Episcopis in synodis & presbyteriis: In quibus notius est quam ut probationi insistã, de causis fidei & religionis disceptari solere. Sed facile hæc conciliari possunt, interesse presbyteros ut consiliarios, non ut judices; quorum sententiam admittere aut rejicere potest pro arbitrio Episcopus.

contra Paulum Samosatenum Episcopum Antiochenum convocato, sed cum eloquentia & singulari eruditione emineret; ut ait Eusebius Eccles. hist. lib. 7. cap. 28. eidem concilio interfuit, & hæreticum notariis omnia excipientibus quæstionibus ursit. *Ejus etiam nomen in Epistola Synodica reperitur, quæ scripta fuit nomine Episcoporum presbyterorum & Diaconorum. Aderant autem quamplures magni nominis Episcopi, Hierosolymæ, Cæsareæ Palestinæ, Cæsareæ Cappadociæ, Tarsensis, Iconiensis; quorum longum catalogum ex Eusebio recensent authores centuriarum Magdeburgicarum, centur. 3. cap. 9. parag. penultima. Et hoc omnes reformatarum Ecclesiarum Doctores mordicus contra Pontificios tuentur. Quare cum in synodis jurisdictio δογματικὴ exerceri solita fuerit: atque in iis omnibus decisiva suffragia tulisse presbyteros æque ac Episcopos, reformatis omnibus certum sit: evidenter sequitur, potestatem dogmaticam veteres illos episcopos sibi solis non vendicasse.*

Sequitur potestas διατακτικὴ, quæ exercetur in iis quæ ad externum regimen ecclesiæ pertinent, & externis cerimoniis cultui divino administrando accommodatis. Atque hic exsurgit nova differentia, nam

9.

Veteres *Hodierni*

Iudicarunt hanc sibi cum presbyteris communem esse; quare communibus omnium suffragiis in synodis διατυπώσεις, seu Agendarum formulas & capitula (*uti vocant*) *fecerunt.*

Sibi solis omnem vendicarunt, ac, presbyteris ne quidem consultis, Canones fabricarunt, & Presbyteris pro imperio obtruserunt: uti & novam liturgiæ formulam antiquata veteri.

Quin & crassissimis Papismi tenebris non

non licuit Episcopis sine presbyterorum consensu Agendarum istarum receptas formulas mutare. Nota est illustris illa disceptatio inter Episcopum Andegavensem, *& Canonicos aliquot S.Trinitatis collegii ibidem, quos presbyterio veteri successisse nullus negat: quæ hunc successum habuit, ut sententia senatus regii definiretur,* Episcopo non licere breviarium & missale ibidem usitatum mutare. *Vide amplissimi Thuani historiarum lib.*129. *ad annum* 1603.

Superest potestas κριτικὴ in exercitio disciplinæ ecclesiasticæ posita, multiplex hic se prodit dissimilitudo: nam

10.

Veteres	Hodierni
Nullam disciplinæ ecclesiasticæ partem soli exclusis presbyteris exercuerunt, sed omnia eorum consilio & suffragio administrabant, quippe quod presbyteris æque ac sibi disciplinam commissam sciebant: Tertull. in Apologet. Ibidem *(id est, in cœtu publico ecclesiæ)* exhortationes, casti-	Excommunicandi potestatem sibi solis arrogant, ur & solvendi à sententia excommunicationis lata. Soli clericalem disciplinam exercent aut per se, aut per officiales, cancellarios, à se deputatos, qui sacro presbyteratus ordini nunquam initiati fuerunt.

gationes, & censura divina, *inter quas refert relegationem à communicatione orationis, conventus & omnis sancti commercii, hoc est, quod vulgo nunc vocatur excommunicatio major. Iam accipe, per quos administraretur:* Præsident probati quique seniores, honorem istum non precio, sed testimonio, adepti. *Et ante illum Irenæus adversus hæres.lib.*4.*cap.*44. Presbyteris iis obediri oportet qui successionem ab Apostolis habent, & sanam doctrinam præbent ad informationem & correctionem aliorum. *Loci illius series satis ostendit intelligi* correctionem judicialem, *quam non exercuere presbyteri deputatione episcopali, sed virtute sui presbyteratus, in quo Apostolorum successores fuerunt. Cyprianus frequentissime in epistolis, lib.*3. *epist.*5. Non defuit presbyteris sacerdotii vigor, ut quidam disciplinæ minus memores comprimerentur. *Itaque ad Episcopi & mancipiorum ejus forum non fuit recurrendum, ut hodie fit. Et lib.*2. *epistola* 7. Lapsorum causa consuevit tractari facta conciliorum collatione cum Episcopis & presbyteris. *Ita quidem*, ut firmum decretum esse non poterat, quod plurimorum consensum habuisse non videbatur. *ibid. Cum ad eum delata esset querela*; placuit, *inquit*, presbyterium contrahi. *Nempe*, religio illi fuit à primordio Episcopatus, sibi soli rem communem vendicare, & quæ mutuus honor communi presbyterorum consilio peragenda postularet, privatim administrare. *lib.*3. *epistol.* 10. & 19. *Eadem mens Hieronymo, in epist. ad Heliodor.* Mihi ante presbyterum sedere non licet; illi, si peccavero, licet me tradere Satanæ ad interitum carnis, ut salvus fiat spiritus. *In Synodis, quibus intererant presbyteri, anathema dictum hæreticis: Depositi episcopi, ut* Samosatenus *in* Antiochena, & Marcellinus *in* Sinuessana, *sententia* 30 *presbyterorum Romanorum damnatus. Quin & veteres Episcopi,* seniores, *seu presbyteros gubernantes ab administratione disciplinæ non excludebant*: sine horum concilio nihil agebatur in ecclesia, donec doctorum superbia excluderentur, *inquit Author commentariorum in* 1. *Tim. c.*5. *quæ nomine Ambrosii circumferuntur.* Jus ligandi & solvendi ὁμοίως ex æquo omnibus pastoribus & doctoribus tributum esse à Christo, *asserit Basilius Magnus Archi-*

chiepiscopus Cæsar: quod nec Lombardus negat sententiarum lib.4. dist.19.

Verum sicuti hodierni Episcopi sibi solis potestatem hanc vendicant: ita in alios sacrilege transtulerunt, & per vicarios suos, officiales, Archidiaconos, Cancellarios, Antichristi excrementa omnes disciplinæ ecclesiasticæ partes, quin & excommunicationem ipsam administrant: atque sic non solum per se tyrannidem in ecclesiam exercent, sed sub servos hosce suos in miserrimam servitutem redegerunt; qui in nullo ordine sacro constituti sunt, sed homines mere seculares: Annon propria vineta cædunt Hierarchici alias reformatas ecclesias damnantes, quod administrationi disciplinæ ecclesiasticæ ex Apostoli præscripto & purioris seculi exemplo, (nequicquam contra fremente D.Hallo & Symmistis) admoveant seniores gubernantes, homines laicos, hoc est, qui vocationem secularem sequuntur? etenim si illicitum est hujus conditionis homines pietate & prudentia conspicuos simul cum pastoribus seu verbi presbyteris disciplinam administrare; quam indecorum est novitiam istam prolem officialium, & cæt. Scripturæ & antiquitati penitus incognitam, per se solam nobilissimos actus jurisdictionis ecclesiasticæ exercere? Videsis doctissimum illum tractatum, cui titulus, Altare Damascenum, cap.5. de Episcoporum dignitate & potestate, & cap.6. De vicariis & officialibus, cujus auctori ut acceptum feras enixe rogo, si quid Antithesibus hisce adjutum te cernas. Infelicis certe ingenii esset, ut ait ille, non fateri per quos profecerim; neque clarissimus ille author, quisquis sit, ægre feret, gratiam hanc sibi à me multorum nomine ingenue repositam. Difficilia ista tempora, cum quibus colluctatus est, literato orbi auctoris nomen suppresserunt.

Proximum est, ut videamus, quojure ordinis illam προεδρίαν sibi vendicarint veteres Episcopi. Atque hinc emergit Antithesis inter

II.

Veteres. & Hodiernos.

Omnem supra presbyteros honoris prærogativam, voluntario eorundem consensui adscribebant; seque mera consuetudine, non vero dominicæ dispositionis veritate *iisdem majores esse, Eundem esse jure divino Episcopum & presbyterum: ex æquo utrumque Apostolis successisse, uti antithesi prima ostensum fuit. Qua ad potestatem ordinis & jurisdictionis spectant, utrisque ex æquo competivisse, & eadem junctim administrasse, ut antithes. 7.8.9.10. probatum fuit.*

Hinc Irenæus l. 4. c.43. qui vixit anno Christianæ æræ 180. Oportet eis qui in ecclesia sunt obedire presbyteris, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis *acce-*

Ast hi singulares illas prærogativas supra presbyteros & presbyterorum collegia, jure divino sibi vendicant: ita ut nefas, & sacrilegium sit, vel scrupulum unicum exsortis hujus potestatis præsulibus abradere: à Spiritu sancto Episcopos se constitutos jactitant, neque episcopatum suum se ferre acceptum ecclesiæ ejusque synodis; neque regibus: nempe, vocationem habent à Christo, solam permissionem exercitii hujus potestatis à principe. Inde Episcopatum necessarium esse dicunr, & presbyteros aliarum ecclesiarum reformatarum ἀκεφάλους vocant, & ecclesias episcopis hisce destitutas, vel eo nomine laborare defectu œconomico, male constitutas esse; & receptum est axioma Cantuariensis

perunt.

perunt. Scholastici doctores in enumerandis ecclesiæ ordinibus, episcopatum & presbyteratum unum tantum ordinem faciunt: *vide citatos fuse à Clariss. Gersomo Bucero, dissertationis de gubernatione ecclesiastica paragr.* 70. *& à celeberrimo D. Voetio in Desperata causa Papatus lib.* 2. *sect.* 1. *cap.* 9. *Verum quidem est Ærium ab Epiphanio inter Hæreticos relatum, quod dixerit Episcopum jure divino nihil differre ab Episcopo. Sed si hoc hæreseos nota dignum, quo pacto ab eadem liberabitur Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, & nubes illa patrum, citante Bellarm. l.* 1. *De clericis cap.* 15. *ex Medina. Et quicquid nunc garriant Canonistæ, notum tamen est in ecclesia duos tantum fuisse ordines sacros, presbyteratum & Diaconatum. vide Gratiani decreta: distinction.* 60. *Can. nullus. Hieronymus usque adeo aperte*

scholæ, Irritam esse omnem presbyterorum ordinationem quæ ab Episcopis non administratur, quia scil. legitimus ordinationis minister ex juris divini præscripto est solus Episcopus. Si quis contra hiscere ausus sit, hæreticum vocant Ærianum, paritatem vero presbyteri & Episcopi, somnium Calvinianum, & dogma antiquitati explosum. Etenim, ut hujus erroris fontem aperiam, non ignoraban[t] boni illi viri corru[pti]turum necessario Episcopatum, si fragili humanæ authoritatis fulcro solummodo inniteretur, utpote quod receptum sit juris axioma. Jura positiva cum incipiunt corrumpere viam suam sunt antiquanda. Et Consuetudines (humano videl. consilio receptæ) quæ ecclesiis noscuntur gravamen inducere nostra nos decet consideratione remittere, uti bene sanxit Gregor. Magn. lib. 1. Epist. 64.

hoc tuetur in commentar. in Titum. cap. 1. *ad illa verba: Ut constituas presbyteros sicut ego disposui, & in epistola ad Evagrium; Ut Hierarchici affirment errasse hic Hieronymum; & parum abest, quin albo hæreticorum, uti hoc nomine Epiphanius Ærium, ascribant: flosculos tantum exscribam: Locis illis prædictis agens de ecclesiastica politia ratione non solum qua Apostolorum ætate, sed qua [e]am proxime subse[c]uta est*, Communi presbyterorum consilio ecclesiam gubernatam fuisse dicit; *Ergo indistincta tunc fuerunt episcoporum & presbyterorum officia, ut & nomina: quandoquidem gubernationis prærogativa sese efferant episcopi supra presbyteros, ea vero olim utrisque communis fuerit, quid quæso restare poterat, quo à se invicem tunc distinguerentur? Et hoc plurimis SS. scripturæ locis perspicue probat: thesеos suæ repetitionem subjungens*, ostendimus apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos & episcopos: postea paulatim ad unum omnis sollicitudo est delata, ut dissensionum plantaria evellerentur: *An vero medicina morbo responderit, eventus docuit. Et Alphonsus de Castro advers. hæreses lib.* 6. *titulo Episcopus; Aperte negat* pastorum inæqualitate plantaria dissensionum exstirpari: *de mutatione hac πολιτείας ecclesiastica sic Musculus in locis communibus.*

Et orbi Christiano non solum præcedentium seculorum tristi exemplo, verum etiam præsentis ævi lugubri experientia plusquam manifestum est præsulum istam vel moderatam πρωτεῖαν fomitem esse & fuisse ambitionis, & ex ea pullulantium schismatum & hæresium. Atque hinc est quod in desperatæ suæ causæ patrocinium ad jus divinum recurrant, licet frustra, & reclamante universo reformatorum choro.

bus. Profueritne, vel fecus confilium hoc ecclefiæ Chrifti, melius eft pofterioribus feculis declaratum, quam dum hæc confuetudo primum introduceretur, cui debemus omnem illam principalium & equeftrium epifcoporum infolentiam ac tyrannidem, imo omnium ecclefiarum Chrifti corruptionem: quam fi Hieronymus cerneret, dubio procul confilium agnofceret non Spiritus fancti ad tollenda fchifmata, ficuti prætexebatur, fed ipfius Satanæ ad vaftanda & perdenda prifca pafcendi dominici gregis minifteria: quo fieret, ut haberet ecclefia non veros doctores, paftores, presbyteros & epifcopos, fed fub nominum iftorum larvis, otiofos ventres, & magnificos principes; qui non modo non pafcant ipfi populum Domini doctrina fana & Apoftolica, fed & improbiffima violentia caveant, ne id per quemquam alium fiat. *Et Whitakerus de Pontifice Romano quæft.* [illegible] *cap.* 3. *§*. 26. remedium hoc morbo ipfo pene pejus fuiffe, *utpote quod* primus fuerit gradus monarchiæ pontificiæ, *annotante Illyrico parte* 1. *Clavis fcripturæ in voce Epifcopus. Rurfus ibidem Hieronymus.* Presbyteri ficut fciunt fe ex ecclefiæ confuetudine effe fubjectos ei qui fibi præpofitus fuerit; ita Epifcopi noverint, fe magis confuetudine quam dominicæ difpofitionis veritate presbyteris effe majores, & in commune debere ecclefiam regere. *Ab Hieronymo ad Chryfoftomum tranfeamus; Is hom.* 11. *in* 1. *Timoth. cap.* 3. *quærit, cur de Epifcopis differens, omiffo presbyterorum ordine, ad Diaconos tranfilierit? Refpondet.* Quia medium (*videlicet interveniens inter Epifcopos & Diaconos*) non multum, etenim illi (*presbyteri*) & docendi munus fufceperant & præfidendi ecclefiæ, & quæ de Epifcopis dixit eadem de presbyteris (*dici.*) fola enim horum electione afcenderunt; *fenfus eft, Epifcopos habere à presbyterorum electione quod ordinis caufa præfint presbyterio, atque unica hac ratione à presbyteris differre: Eandem femitam terit* Sedulius presbyter Scotus, *qui eodem feculo vixit quo Paladius, qui miffus à Cœleftino pontifice Romano Epifcopos in Scotia primus creaffe dicitur; verba formalia Hieronymi citat & approbat, in expofitione epiftolarum ad Titum & Timotheum. Ambrofius eodem inclinat in Comment. in* 1. *Timoth. cap.* 3. Quare (*inquit*) poft Epifcopum Diaconatus ordinem fubjecit? Nifi quia presbyteri & Epifcopi una ordinatio eft. Uterque enim facerdos eft, fed Epifcopus primus eft, ut omnis epifcopus presbyter fit, non tamen omnis presbyter Epifcopus; hic enim Epifcopus eft, qui inter presbyteros primus eft: *Redolentne hæc quæfo principatum poteftatis de*[illegible]*itum epifcopis jure divino; An potius primatum ordinis ab ecclefia introductum?* Primus, *inquit*, erat presbyter. *cui loco illuftrando fubferviat illud ejufdem Ambrofii comment. in cap.* 4. *ad Ephef.* Non per omnia (*inquit*) conveniunt fcripta Apoftoli, ordinationi, quæ nunc in ecclefia eft. Nam & Timotheum à fe creatum presbyterum, epifcopum vocat, quia primi presbyteri epifcopi appellabantur, ut recedente eo fequens ei fuccederet. *Unde colligitur præfidentiam illam ordinis, cum primum inftitutum hoc obtinuiffet, non fuiffe perpetuam, fed fuccedaneam: hoc eft, primatus ille ordinis olim nulli fuit perpetuus, nec ad vitam certæ perfonæ annexus, pro-ut Ambrofii feculo obtinuit, fed omnibus presbyteris communis, utpote quod fibi invicem in præfidentia fuccederent. Auguftino eadem mens tomo* 2. *operum epiftola* 19. *ad Hieronymum.* Quanquam, *inquit*, fecundum honorum vocabula quæ jam ecclefiæ

clesiæ usus obtinuit, Episcopatus presbyterio major sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est. *Præceptoris sui vestigia pressit Primasius in Comment. ad Epistolam ad Tit. Quæ fuerit venerabilis Bedæ sententia, aperte explicat in commentariis Actorum Apostolicorum, ad illa verba; In quo Spiritus S. vos posuit episcopos: vide Albini Alcuini sententiam supra, antithesi 4. ejusque* σύγχρονος Rabanus Maurus, *quem Scotum natione vocant non solum historici Scoti in vita regis Achaji, à quo in Gallias ad Carolum Magnum missus fuit, sed & Angli ipsi, Balæus in scriptoribus ecclesiasticis magnæ Britanniæ: multosque variarum nationum & seculorum authores magni nominis. Rabanum hunc Scotiæ vendicantes, citat* Demsterus *in libro cui titulus*, Mendicabula Hibernorum repressa, *& cat. &* David Camerarius *lib. 3. De Scotorum pietate in Menologio Scotorum sanctorum ad diem 4 Februarii, videantur ipsius Rabani commentaria in epist. Pauli ad Philippenses & ad Timotheum: cujus verba quia eadem fere sunt cum Chrysostomi & Hieronymi supra citatis, non exscribam: Porro cum omnes hi paritatem presbyterorum & episcoporum ex scripturis adstruant, neque nomina solum utrisque fuisse olim communia, verumetiam munia, paradoxum illud hodiernorum hierarchicorum principatum potestatis supra presbyteros jure divino vendicantium, merito explodendum est: At Apostolici saltem juris fuisse putabant veteres Episcopatum (inquient hierarchici:) At quo argumento illud persuadebunt? Etenim cum splendidissima illa patrum nubes ex scriptis Apostolicis presbyterorum & episcoporum paritatem adstruxerit, probabile cuiquam erit eosdem imparitatem hanc Apostolis authoribus transscribere posse? præsertim cum perspicue testatum reliquerint, nihil pro Apostolico habendum quod in scriptis Apostolorum non reperiatur. Hieronymus in Haggæum cap. 1.* Quæ (*inquit*) absque authoritate & testimoniis scripturarum quasi Apostolica traditione sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei: *& ejus æqualis Theophilus Alexandrinus: in Epistola 2. Paschali.* Diabolicum est extra scripturarum divinarum authoritatem aliquid divinum putare: *At quod Apostolicum est, divinum est: Nisi fortasse ecclesiis reponere velint pontificium illud Apostolorum traditiones alias fuisse scriptas, alias verò non scriptas: inter quas si hanc de Episcopatu numerent, age examinetur ad regulam illam Augustini contra Donatistas lib. 4. cap. 24.* Quod universo tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum, rectissime creditur. *At Episcopatum Diœcesanum universa ubique ac semper tenebat ecclesia, nec conciliis institutus fuit, id est, conciliorum authoritate introductus. Quam falsa hæc minor sit, præcedentes & subsecuturæ antitheses demonstrant. Adde quod Hieronymus aperte testetur, episcopatum à conciliis primitus sancitum. Comment. in Tit. 1.* Postquam unusquisque eos quos baptizaverat suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris delectus superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret. *Dein idem Hieronymus in epistola ad Euagrium:* Primatum hunc episcoporum, Alexandriæ primum cœpisse, post mortem Marci Euangelistæ; *hancque consuetudinem uno impetu ab aliis omnibus ecclesiis receptam fuisse cui verisimile? præsertim cum addat ibidem*, Paulatim, ut dissensionum plantaria evellerentur, omnem sollicitudinem ad unum delatam fuisse: *si*

paulatim, certe non universaliter & semper obtinuit. & consuetudinem hanc Alexandrinæ ecclesiæ Sozomenus lib. 1. *cap.* 15. civitatis consuetudinem *vocat; quia videlicet apud alias ecclesias non obtinuit, Epiphanio ipso fatente: Hæresi* 86. *de Miletianis.* Non habuit Alexandria duos episcopos, ut aliæ urbes: *Cur itaque hic cum Hieronymo in eadem ad Euagrium epistola, Alexandrinæ ecclesiæ singulare exemplum objicientibus, respondere non liceat?* Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges ecclesiæ, vindicas: *Denique cui incognitum multas ecclesias duos simul episcopos habuisse purioribus illis seculis. Clemens in constitut. lib.* 7. *cap.* 46. *refert.* Euodium & Ignatium, *non successive. sed* simul uno eodemque tempore Antiochenæ ecclesiæ episcopatum adeptos fuisse: *Nam explodendum insanum illud Baronii delirium, asserentis, duplicem fuisse Antiochiæ ecclesiam, ratione dissidii à Luca in Act. Apost. cap.* 15. *commemorati, inter eos qui fuerunt ex circumcisione, quos Nazaræos vocabant, & qui ex gentibus ecclesiæ nomina sua dederunt: sicuti postea factum esse commemorant ecclesiasticæ historiæ scriptores in iis civitatibus, quæ simul ab orthodoxis & hæreticis aut schismaticis incolebantur: quasi vero Euodius aut Ignatius hæreticis publica Apostolorum sententia in Synodo Hierosolymitana damnatis, Act.* 15. *ministerii sui operam commodare voluissent: Prodigiosa illa varietas in nominando Petri successore in Episcopatu Romano, apud Ecclesiastica historiæ scriptores, aliis Linum, aliis Anacletum, aliis Clementem locantibus, nulla ratione reconciliari poterit, nisi concedatur plures Episcopos simul sedisse, ac pari authoritate ecclesiam gubernasse. Ecclesiæ Smyrnensi præfuit Polycarpus, Iohannis Apostoli discipulus, ac ejus ecclesiæ episcopum à Iohanne ordinatum testantur Ignatius, Irenæus, Eusebius: at Clemens constit. Apostol. lib.* 7. *cap.* 47. *Aristonem primum fuisse Smyrnæ episcopum, ejusque successorem Strateam, istique tertium Episcopum successisse alterum Aristonem: & Suidas in voce Polycarpus, Bucolum primum fuisse Smyrnensis ecclesiæ episcopum. Infinitum esset omnia hujus generis exempla coacervare; Præsentia satis docent, plures Episcopos uni ecclesiæ simul præfuisse. Atque in hodierno episcopatu nihil ejusmodi cernitur. utpote quod inter propria ejus γνωρίσματα hoc primum locum habeat; Quod in Diœcesi Episcopus sit singularis, nam si plures admitterentur, actum iri clamant de unitate Ecclesiæ; Dunamus in concione Lambethana: utpote quod inter pastores ecclesiæ æqualitatem dicant esse schismatum & hæreseôn seminarium: quasi obliti essent illius Augustini in Psalm.* 105. Nonne, inquit, Episcopi fuerunt authores schismatum & hæresium? *& illius apud Chrysost. hom.* 58. *ad populum Antiochenum: cum de priscis monachis sermonem faceret,* Quoniam apud eos æqualitas multa fuerat, multa etiam fuit virtutis facilitas. *Et unitatem in ecclesia conservari posse aliis mediis docet Cyprianus, lib.* 3. *epist.* 13. copioso videl. corpore sacerdotum concordiæ mutuæ glutine & unitatis vinculo copulatum. *Cohærentia porro hæc, docente Spalatensi, De Repub. eccles. lib.* 3. *c.* 1. *parag.* 14. *paritatem supponit, neque admittit subordinationem unius ad unum, sed ad plures, videlicet Collegium. & Gregorius* per humilitatem ecclesiæ unitatem custodiri asserit. *Priusquam sectioni huic finem imponam, eximendus est scrupulus quidam, quo fortasse quidam tenentur, ne prioribus fine hæ-*

sita-

stationis astu subscribant: In historia ecclesiastica vident series episcoporum deductas à primis ecclesiarum incunabulis; ideoque colligunt unum semper singulariter, durante vita, præfuisse: verum in rei hujus causas sollicite inquirentibus, hæc occurrent quibus nubes hæc dispelli commode possit: videlicet, Veteres scriptores unius tantum Episcopi mentionem ordinarie & ut plurimum fecisse, partim quia illis solis propositum fuit temporum rationem edocere, quod assequuti fuerant nominatione unius, qui propter doctrinam, aut virtutum ornamenta rerumve experientiam celebris esset: partim vero, quia ad sui seculi consuetudinem, quando unius προεστώτων *prævaluit, scribendi rationem mutuabantur. Sed de his hactenus fusius quam instituti ratio postulabat; ad reliquas antitheses progrediendum: in potestate extensiva, muneris exercitio, & vita habitu. Dissimilitudo ratione extensivæ potestatis hæc est.*

12.

Veteres. & ***Hodierni.***

Olim opidatim fere fuerunt episcopi, nec majori intervallo inter se distincti; quod vel inde liquet, quod in Concil. Africano cap. 20. refertur. Oportere, videl. ad examinandam causam presbyteri accusati, ut sex Episcopi ex vicinis locis adjungerentur episcopo: *Et multo, ante Cypriani ætatem, tempore, in Concilio Lambesitano, nonaginta episcoporum sententiis damnatum fuisse privatum veterem hæreticum, testatur Cyprianus libro 1. epistol. 3. Eodemque testante lib. 1. epistolu 4.* Universam fraternitatem convenisse ad Sabini episcopi electionem. *Ac veterum historias legentibus passim occurrent vilissimi & ignobiles pagi, ac frigidissima opida; indigna quæ à Geographis in tabulis locarentur; qui tamen suum Episcopum habuerunt. Nazianzon, opidulum licet Cæsareæ vicinum, celebris tamen fuit magni illius Theologi Gregorii Nazianzeni Episcopatu. Chrysostomi quoque tempore obtinuit, ut Episcopi Diœcesis non plures una civitate contineret. hom. 3. in acta Apostolorum.* Nonne terrarum orbis imperium tenet Imperator? hic autem unius civitatis est Episcopus. *Sozomenus historia ecclesiast. lib. 7. cap. 19. dicit,* se comperisse in pagis Episcopos ordinatos apud Arabes & Cypros. *Verum quidem est invalescente ambitione, (quæ facit ut semper magis elaborent homines late quam bene præesse) & typho seculi, vetitum fuisse, ne in villis constituerentur Episcopi: mutationis hujus causam nullam aliam proferunt Canones & Canonum expositores, quam ne vilesceret nomen & authoritas Episcopi; quia scilicet tenuiores pagi non tantum suppetebant, quantum sufficeret ad pompam quam affectabant: Quasi vero pluris faciendus esset splendor & secularis unius Episcopi magnificentia, quam ecclesiæ ædificatio. Erasmus, antiquitatis sedulus indagator, late extensas has Episcoporum pontificiorum Diœceses sic taxat lib. 1. Ecclesiast.* Multorum præsulum ditio tam

Singularem illam jurisdictionis potestatem, quam sibi jure divino vendicant, extendunt in plures integras provincias. Unius hodierni Episcopi diœcesis amplioris circuitus est, & plures subjectas habet ecclesias quibus imperat, quam olim decem Episcopi. v. g. In Scotia Episcopatus Glasguensis ambitu suo comprehendit *provincias undecim, Glottianam, Lennoxiam, Renfroanam, Cuningamiam, Carictam, Coilam, Nithiam, Eusdaliam, Esdaliam, Annandiam, Tuediam.*

tam late patet, ut si quam maxime forent expediti omnibus mundanis negotiis, non possent tamen in omnibus oppidis concionari, cum hodie una civitas complures requirat ecclesiastas. *Et si cui minus arrideat Erasmi censura, saltem audiat illud Hoperi Episcopi Glocestriensis, & martyris, in explicatione Decalogi ad præceptum.* 8. Si jam inquit vigeret antiquus ille erga populum amor, agnoscerent ipsi plus in una civitate negotii esse, quam quod facile ab optimis expediri possit: Satis norunt primitivam ecclesiam nullos ejusmodi Episcopos habuisse ante Sylvestri primi tempora. *Addit*, Episcopum uni civitati tantum præfici debere. Et dum magistratus (*inquit*) in hunc ordinem eos redegerit, tam impossibile erit Episcopo piè & sobriè in omni religionis scripturam transvadere, quam Camelum adigi per foramen acus.

13.

Veteres. &	Hodierni.
Verbi prædicationem inter præcipua officii sui munia collocabant, memores illius Pauli ad Tim. 1, 5. 17. *in eaque strenue sese exercebant ἀκαίρως, εὐκαίρως.* Docendi officium omnium præcipue ut insit Episcopis est necesse, *Theophyl. in* 1. *Tim.* 3. *Quod non negant patres in conciliabulo illo Tridentino.*	Raro concionantur: ac munus ecclesiastæ tanquam fastigio suo indignum in alios rejiciunt, plebem vid. per deputatos pascentes, nullo linguæ vitio aut senio impediti, sed fastu corrupti & verbi divini fastidio correpti, cujus mali fontem subsequens antithesis aperiet.

Vsque adeo manifestum hoc est, ut probationibus insistere, esset Soli lucem fœnerari.

14.

Est in vitæ habitu.

Veteres. &	Hodierni.
Crassè ignarum esse oportet aut gnaviter impudentem, qui negabit hæc non quam longissimè abfuisse ab antiquis illis Episcopis: vide quæ infra tractanda erunt ad sessionem 25. *ex Canonibus Apostolicis, Clemente Romano, Cypriano, Synesio, Hilario, & cæt. in hanc rem fuse, quibus adde testimonium Ammiani Marcellini, lib.* 27. *de habitu vitæ, beatorum quos vocat Episcoporum, ipse licet ethnicus:* Tenuitas edendi, potandique parcissimè, indumentorum vilitas, & supercilia humum spectantia, perpetuo numini, verisque ejus cultoribus, eos ut puros commendat & verecundos. *Damnatum etiam in Paulo Samosateno, maximo licet Episcopo,* quod mundanas dignitates usurpaverit, & Ducenarius magis quam Episcopus vocari voluerit,	Omnium oculis se ingerit pompa illa secularis merum typhum & fastum redolens; nullo alio nomine salutari volunt quam quo majores Barones parlamentarii: *My Lord.* In omnibus privatis & publicis congressibus, imò in ipsis comitiis parlamentariis. Archiepiscopus Andreapolitanus ut regni Scotiæ Primas, vendicat sibi secundum à Sereniss. Rege locum; Archiepiscopus Glasguensis supra omnes Comites; & cæteri Episcopi supra Dominos Barones. Palatia inhabitant: Amplissimarum Baroniarum sunt Domini: Secularibus administrationibus publicis se mancipant: sunt Cancellarii regni, aucupantur esse Thesaurarii. Sunt ordinarii senatores regii, ac supremæ Curiæ, quam vulgo Scoti Collegium Justitiæ vel sessio-

quod

quod per forum incedens numerosam catervam satellitum partim præcedentiũ, partim subsequentium, circa se habuerit, ita ut fides nostra, invidiæ & odio propter fastum & superbiam cordis illius, facta est obnoxia. *Euseb. lib. 7. cap. 29.* nem vocant: & in Camera rationum regiarum plures adoptantur. Quid memorem profusi luxus ostentationem in vestitu, famulitio & similibus. *Vide Canonem Synodi Carthaginensis 4. Canonem hunc in corpus Decreti retulit Gratianus. Dist. 41. Can. Episcopus & Clericus.* Episcopus (*inquit*) non longe ab Ecclesia hospitiolum, vilem supellectilem & mensam ac pauperem victum habeat, & dignitatis suæ authoritatem fide & meritis quærat. *Videatur Possidonius in vita magni Augustini, Hipponensis Episcopi.* Mensa (*inquit*) frugali usus est & parca, quæ quidem inter olera & legumina, etiam carnes aliquando propter hospites vel quosque infirmiores continebat: cochlearibus tantum argenteis utens, cætera vasa quibus mensæ inferebantur cibi, vel testacea vel lignea vel marmorea erant. *Item,* Testamentum nullum fecit, quia, unde faceret, Christi pauper non habebat: *& de Basilio magno Cæsarea Episcopo refert Sozomenus lib. 6. cap. 16. respondisse Imperatoris præfecto interminanti bonorum publicationem:* Horum nihil me cruciare potest; equidem opes non habeo præterquam laceram vestem & paucos libros: *Complures paginæ replendæ essent, si testimonia patrum adjicerem qui acriter invecti sunt in secularitatem, luxuriam, & typhum Episcoporum. Vide præsertim Bernardum, lib. 2. 3. 4. ad Eugenium & sermone 76. & 77. super Cantica. Seculo corruptissimo,: Quod si objiciat equestre illud & heroicum sacerdotum genus, uti Lutherus festive eos vocat. Non ad superbiam aut pompam hæc à se fieri, sed ut sic ornetur in suis ministris ecclesia, & sic honorata crescat in sua authoritate, pro-ut Episcopi Gersonis seculo se tuebantur; Respondebit idem Gerson, in tractatu de temperantia citato & approbato ab Archiepiscopo Spalatensi acerrimo Hierarchico, de repub. ecclesiast. lib. 9. cap. 5. §. 44. cujus verba non pigebit transscribere, nam valde interest qua manu vibretur telum:* Vel enim (*inquit*) pompam in vestibus, in ferculis, in servitoribus, & cæt. quærunt ecclesiastici ad placendum Deo, vel ut proficiant proximo, vel ad ecclesiæ honestatem & authoritatem. Non primum, quia ex Hieronymo non tenera vestis, sed munditia mentis facit ornatum clericorum; & quia plus placent Deo opera pietatis, in quibus possent expendi ea quæ talis pompa requirit. Non secundum, quia plus scandalizat laicos pompa hæc clericorum quam ædificet; plus ad indignationem, invidiam & murmur eos excitat, quam ad amorem; & plus auget in eis avaritiam & superbiam, quam exstinguat: neque potest sacerdos pompaticus verbo & exemplo humilitatem, frugalitatem, & sobrietatem aliis persuadere. Non tertium, quia honor debet dari in testimonium virtutis, non propter exteriores divitias & ornatum. Sicque populum inducunt in errorem, dum ille ab eis discit honorare ecclesiam propter temporalia ista, & non propter bona futura & spiritualia: Alioqui Christus & ejus Apostoli non sufficienter ornassent ecclesiam & honorassent, quando talia in se contemserunt, & aliis spernenda suaserunt. *Addit Spalatensis, ejusdem cap. parag. 39.* Reverentia quam nobis exhibet populus ob splendorem solum externum, est popularis, plausibilis, tota vana & spiritui nihil proficua, & splendor hic, ut dicebat Bernardus,

admirationem non devotionem excitat: Si itaque collapsa jam spirituali reverentia, quæ ad spiritualem populi profectum plurimum valet; quid ad spiritum, si populus me tanquam divitem & in mundo potentem ac honoratum mundano solum honore revereatur? Pereat & hæc reverentia, ne ex ea & per illam populus etiam in errorem inducatur, ut ex carnali etiam carnalior fiat. Unde (*inquit Bernardus serm.* 77. *in Canticum*) hanc illis (*videl. præsulibus seu episcopis*) exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis sponsæ, id est, ecclesiæ. Inde est quod illa pauper & inops & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, exsangui. Non est hoc ornare sponsam, sed spoliare; non est custodire, sed prodere; non est defendere, sed exponere; non est instituere, sed prostituere; non est pascere gregem, sed mactare & devorare: *Atque hæc sufficiant retundendæ importunæ jactationis Scoticorum Episcoporum, qui per suum latus lancinari veteres illos Episcopos magnis clamoribus ingeminant. Claudo digressiunculam hanc verbis Isidori Pelusiotæ, qui patrocinium Hieracis ad Episcopatum electi, sed eum detrectantis, sic peragit, epistola* 223. *floruit vero sub Theodosio Iuniore anno* 482. *cum primatus ille ordinis nondum lege lata in principatum potestatis & καταχυριότητα degenerasset.* Illud (*inquit*) fortasse ignorare videmini lenitatis & mansuetudinis dignitatem in tyrannidem transiisse. Nam si ostendere possitis veterem pascendi gregis rationem nunc quoque vigere, maximè quidem eum qui se huic negotio imparem esse arbitratus est, ac propterea in fugam se dedit, à vobis laudari æquum fuerit. Sin vero res in contrarium cessit, ab eo pœnæ minimè expetantur: Tunc enim salutis omnium causa mortem oppetebant; nunc autem pastores ovibus mortem inferunt, non corpora jugulantes, (levius enim hoc malum esset) verum animis offensiones afferentes. Tunc jejuniis corpus castigabant; nunc autem ut luxu ac deliciis exsultent, efficiunt. Tunc bona sua egentibus distribuebant; nunc autem pauperum bona in rem suam vertunt. Tunc virtutem colebant; nunc virtutum cultores proscribunt & eliminant. Verum cum ostendam, quantum inter vetus ministerium, & præsentem tyrannidem intersit; quæ tandem causa est, quamobrem æqualitatis amantes, coronis non redimitis.

Quæ omnia eo clariora erunt, si crimina in Synodo Episcopis objecta & probata consideremus, pro-ut illa in Historia belli Scotici propediem edenda, & actis Synodi Glasguensis recensentur. Ex quibus ea inseremus. Episcopi Gallovidiani accusatio continebat, præter ea quæ ipsi communia erant cum cæteris Episcopis (violationem conditionum stipulatarum in Synodo 1600 ad Montis Rosarum & usurpationem Libertatis Ecclesiasticæ) personalia plurima crimina, tam in moribus quam in doctrina. Inter quæ fuerunt, aperta & ordinaria diei Dominicæ profanatio, negligentia pastoralis muneris, supina tyrannis in pastores & alios inaudita. Quod Papistas pertinaces ab Ecclesiis excommunicatos in intimæ familiaritatis societatem admiserit, in Reformatæ Religionis odium; Professus, Pontificios illos licet excommunicatos, longè sibi cariores Puritanis (quo nomine traducere sunt soliti Hierarchici eos, qui puritati Reformationis adhærent) plurimorum Pontificiorum & omnium Arminianorum dogmatum publica & privata defensio

Archi-

Archiepiſcopus Andreapolitanus publicæ & ordinariæ profanationis Sabbati, immodicæ ad intempeſtam uſque noctem tabernarum frequentationis, atrocium calumniarum & conviciorum in Synodos omnes Nationales præcedentes criminis falſi, ob interlita & mutata Synodi Abredonenſis decreta, ſacrilegii, Simoniæ, indulgentiæ erga paſtores & profeſſores heterodoxias, & aliorum convictus fuit. Epiſcopum Brechinenſem flagitia plurima omnibus liquido comperta infamem dudum reddiderunt.

Epiſcopo Edenburgeno objectum, præter illa quæ ipſi cum omnibus Epiſcopis eſſet communia, quod libros Canonum & liturgiæ, aliaſque novitates non ſolum exemplo & praxi comprobaſſet, verum etiam paſtoribus ſevere obtruſiſſet, quod nullum ad ſacri miniſterii functionem admitteret, niſi qui prius ordinem Diaconatus ſuſciperet: quod coram altari genu-flecteret, quod rocheto, & aliis iſtis Miſſaticorum veſtibus in ſacris uſus eſſet, quod templa more Romano conſecraſſet, quod facultatem conceſſerit celebrandi matrimonia, licet trinundina denunciatio non præceſſiſſet; quo quampluribus multum damni ceſſit: quod ritu Elevationis in S. cœnæ adminiſtratione ſolenniter uſus fuiſſet: quod heterodoxiam in paſtoribus quibuſdam Edenburgenis, indulgentia ſua & conniventia foverit; & quod ipſe portentum ubiquitatis in ſcriptis ſuis typis commiſſis defenderit. Ob quæ, cum liquido probata eſſent; atque proteſtatione contra Synodum, pervicaciæ crimen addidiſſet; ab omni eccleſiaſtica functione deponendum, atque excommunicandum decrevit Synodus.

Abredonenſi Epiſcopo objectum præter vulgaria Epiſcoporum crimina, flagrans Simoniæ ſcandalum, quod libros illos Canonum & liturgiæ paſtoribus obtruſiſſet, quod paſtores à miniſterii functione ſuſpenderit, quia die Dominico jejunium publicum celebraſſent; quod in Synodis provincialibus tyrannidem exercuiſſet, ac in iis Canones de jejuniis condiderit, paſtoribus non conſultis: quod Capellas ſuperſtitioſe dedicaſſet; quod Pontificios, & inceſtus ſcandalo flagrantes ab eccleſiaſticis cenſuris, reluctante eccleſia, liberaſſet: Addebant alii, malitioſæ apoſtaſiæ crimen fœdum; nam licet olim diſciplinæ purioris acerrimus eſſet propugnator, ac præfervido zelo collegis gravis fuiſſet; poſtea tamen tempori & ſcenæ ſerviens, Epiſcoporum conatibus promovendis ſeſe totum tradiderit: Quare ab omni functione eccleſiaſtica deponitur, ac excommunicandus decernitur.

Epiſcopo Roſſenſi objectum, præter ea quæ Epiſcopis omnibus fuere communia, quod hiſce annis præteritis liturgiam Anglicanam in eccleſia ſua cathedrali prælegerit, coram altari genuflecteret, ſuperſtitioſis iſtis ac ſordidis miſſaticorum veſtibus indutus ſacra peregiſſet, pios ac doctos Euangelii miniſtros depoſuiſſet, ſurrogatis in eorum locum indoctis ac profanis ſcortatoribus: quod ſingulari familiaritate Papiſtas amplecteretur; quod inſignis eſſet aleator, ac diebus Dominicis, iiſque etiam quibus ſacra Domini Cœna adminiſtrabatur, alearum & chartarum luſu uſus fuerit; quod vaſallos crudeliter expilaſſet, multis ad extremam inopiam & miſeriam redactis; quod ſtata jejunia diebus Veneris indixiſſet; Diem Dominicum ordinarie profanaſſet, ac deſerto verbi miniſterio, Politicis negotiis in aula & ſenatu totum ſeſe mancipaſſet, quod Pontificiorum errores plurimos, eoſque craſſiores, ac omnes Remonſtrantium heterodoxias publice

tum per se, tum per asseclas suos defenderit; quod omnium calamitatum, quibus jamdiu pressu fuit tam ecclesia quam regnum, primarius author ac conciliator fuisset. Denique cum criminibus hisce, quæ usque adeo aperta fuerunt, ut probatione vix indigerent, extremam pertinaciam,& ecclesiæ contemtum probrosa ista protestatione contra Synodum, addidisset, unanimi omnium judicio indignus censetur functione qualibet ecclesiastica, ac pro infami habendus, ac excommunicandus.

Sess. 18.*Decembr.* 11.*Die Martis.*

Examinatur causa Episcopi Orcadum. Objectum, præter perfidam stipulatarum cautionum violationem, quod illi cum aliis omnibus episcopis commune fuit, quod diem Dominicum publice profanasset; quod ecclesiæ bona in filiorum & generorum gratiam non sine sacrilegio dilapidasset; quod ecclesiasticas censuras non exercuerit in adulteros, ac sortilegos; quod in fabricam Cathedralis templi à pastoribus pecunias extorserit: & cæt. verum cum epistola ad Synodum missa, ejus censuræ sese submissurum, nec unquam novitates ab Episcopis obtrusas sibi placuisse declarasset; ab omni functione ecclesiastica deponitur, ac nisi seriæ pœnitentiæ signa exhibeat, à deputatis synodi excommunicandus declaratur.

Moraviensi episcopo præter vulgaria Episcoporum omnium crimina, objicitur, quod ille primus ausus fuerit superpelliceo indutus sacra peragere, in primario Edenburgenæ civitatis templo, anno 1633. professus se in Regis gratiam, quem palpabat, viliorem adhuc futurum: Ab omni ecclesiastica functione removetur; nequaquam tamen excommunicandus, nisi Synodi judicio sese submittere renuat:

Glasguensi Archiepiscopo, præter ea quæ ipsi cum collegis essent communia, objectum; quod in provinciali synodo pastoribus omnibus fere reclamantibus, decreverit librum Canonum novitatibus refertum, esse recipiendum, quod sub pœna perduellionis pastoribus mandaret, ut librum liturgiæ obtrusum publice legerent, quod à pastoribus pecunias extorserit, quod aliis stipendium non persolvisset, quod officia juridica curiæ commissarionatus (quæ ecclesiastica dicitur) venum exposuisset; quod vasallos suos avare & crudeliter vexasset, ac ministerii candidatis concionandi facultate interdixisset, nisi primum futiles quasdam juramentorum formulas; à se ipso excogitatas, chirographis obsignassent: Quare ab omni functione ecclesiastica deponitur; ac excommunicandus censetur, nisi mature pœnitentiam professus fuerit, ac synodi judicio se submiserit.

Argatheliensi Episcopo crimini datum, præter communia collegarum vitia, quod in illegitima quædam juramenta pastores adegisset, ac librum liturgiæ obtrusisset; Diem Dominicum profanasset, atque ut tempori serviret, heterodoxias Arminianorum, quas olim damnabat, publice defendisset; Multorum animos qui hominem antea familiariter noverant, ingens subiit admiratio, quibus artibus factum, ut tam subito mutaretur: nam certissimis indiciis compertum fuit, eorum dogmatum quæ alibi strenue promoventur, nullum ipsi nunc displicere: Sed φιλοζημία δ[illegible] κακόν, vitiorum origo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium; quosque nulla potuit movere luxuria, nulla subruere avaritia, mentis hæc ærugo. Ambitio criminosos facit.

Insularum Episcopo nihil objectum præter communia Episcoporum crimina. Censura depositionis in utrumque decernitur.

Episcoporum agmen claudebant censuræ.

furæ in Pastores quosdam, Episcoporum, quorum libidini se mancipaverant, asseclas. Johannes Matthius gravissima heterodoxias infamia jam pridem celebris, quam ex sinu Sinserfii Gallovidiani & Maxvvellii Rossensis episcopi hauserat, tanquam sal infatuatus, ministerii functione deponitur: Probatum, eum publice tutatum fuisse omnes Arminianorum heterodoxias, ac preces pro mortuis, descensum localem animæ Christi ad inferos, damnationem infantum sine baptismo decedentium, baptismi opus operatum; se teneri missam Pontificiam celebrare, si ita mandet rex. Quibus superbum Presbyterii seu Classis despectum superaddidit.

Aliorum quorundam pastorum causæ examinatæ, & extrema sententiæ dictio ad Synodi deputatos relata fuit; Verum Thomæ Fosteri Mulrossensis pastoris causa nequaquam silentio involvenda: Classe Mulrossiana accusante probatum fuit, sæpius publice asseruisse, licere opera quælibet servilia die Dominico peragere; exemploque suo auditoribus suis præivisse; ut messem die illo sacro ex agris in horrea convehetent; Quartum præceptum nullatenus fuisse morale, aliter statuentes, homines ad Judaismum reducere: quod per templum suum pecora ordinarie deduci juberet; quod demolita mensa lignea celebrationi Dominicæ Cœnæ destinata, & in vilissimos usus conversa, altare cancellis circumclusum erexerit; intra quos ipse stans, populo à sancti hujus sanctorum aditu prohibito, porrigebat sacramentum: Quod dixisset curiosum esse disquirere, an Christus ibi præsens esset sacramentaliter, an vero per transsubstantiationem & consubstantiationem: Quod profanis contumeliis publicam & ordinariam verbi divini prædicationem lacesseret, eamque nullam publici cultus divini partem necessariam; lectionique liturgiæ obtrusæ postponendam, (quam corruptelis omnibus vacuam, & absolutissimam cultus divini formulam) asserebat: Quod ecclesiarum omnium pastores publice, & Christiani omnes privatim, orationum formulis in libro liturgiæ præscriptis, iisque solis uti debeant: Quod in propriis suis ædibus sæpius baptizasset: Quod Arminianorum & Pontificiorum heterodoxias auditoribus suis obtrusisset: Quod conviciorum plaustra in beatos Ecclesiarum reformatores publice & privatim conjecisset; quos plus detrimenti paucuslis quibus vixerunt annis; Ecclesiis Christianis intulisse affirmabat, quam Pontifex Romanus cum factione Papali, decem integris seculis. Atque hæc sunt tantum specimina profundæ illius Theologiæ, & insignis pietatis, quam Hierarchici eorumque asseclæ tam plenis buccis crepant. Multorum animos tum subiit recordatio ilius quod venerabilis Beza non sine prophetiæ spiritu olim rescripsit Cnoxo, ecclesiæ Scoticæ reformatori, *Sicut Episcopi papatum pepererunt: ita oculis pene ipsis jam cernitur Pseudo-episcopos, Papatus reliquias, Epicureismum terris invecturos.* Cujus certissimi vaticinii eventum parum abfuit quin Ecclesiæ Scoticæ plene expertæ essent, nisi Deus optimus maximus, populi sui scelerum oblitus, iram placabilis leniisset, tristitiæque nube repulsa, exserto brachio signum ostendisset liberandi ecclesiam sponsam Filii sui ab ejusmodi pestiferis carcinomatibus ejus viscera tamdiu impune exedentibus.

Sess. 19. Decembr. 12. Die Mercurii.

Examinantur causæ Episcoporum, Caledonii & Cathanesiæ: præter communia Episcoporum crimina, objectum fuit Simoniæ scandalum utrique. Sed

quia


quia Synodi censuræ se submiserant, à functione Episcopali depositi solum sunt: & Caledonio gratia facta est pastoralis functionis in ecclesia Sancti Madoci.

Tandem ad examen vocatur Episcopus Dumblanensis: qui non ita pridem in Angliam profugerat: ei objectum, præter communia Episcoporum vitia, quod cum Rossensi episcopo strenuam operam navasset in formandis libris Canonum & liturgiæ; quos severe pastoribus obtrusit, ac toto Episcopatus tempore ita se gesserit, quasi volupe sibi fuisset ecclesiam cum fastu calcasse; quod flagranti ebrietatis, profanationis nominis divini & diei Dominicæ, scandalo teneretur: Quod, cum Professorem egisset SS. Theologiæ in Academia Andreapolitana, solenne illi fuisset pleraque in reformatis ecclesiis recepta dogmata publice privatimque sugillare, & auditoribus suspecta reddere; Pontificiorum & Arminianorum scripta extollere, & discipulis suis inprimis commendare: Quibus sic præparatis, virus ipsum pleni Arminianismi, & complurium heterodoxiarum Pontificiarum instillabat, unde factum ut multorum auditorum ingenia corruperit, ac pravis opinionibus imbuerit; cujus mali vim omnes regni partes adhuc sentiant: Una voce omnium, ab omni ecclesiastica functione statim deponendus, ac excommunicandus censetur.

Atque hæc præmittere visum: ut eo manifestius esset Britanniam diutius Episcopos non potuisse ferre, nisi in Papismum & Atheismum labi vellet. Eant nunc illi, & glorientur de antiquitate sua & necessitate! Quicquid malorum Ecclesias Britannicas unquam afflixit, ab Episcopis originem habuit. Omnes sectæ & schismata Tyrannidem ipsorum matrem agnoscunt. Nisi enim veritatem, puritatem & libertatem conscientiarum suis edictis & curiis oppressissent, non ad eos errores delapsi animi; non ad ea dissidia ventum foret. Sed dicunt, Ecclesiam Britannicam schismate caruisse, quamdiu Episcopi fuerint. Quo nihil minus verum est. Semper contra eos protestati sunt Reformati, quos Puritanos vocarunt. Alii plane secessionem ab Ecclesia Britannica fecerunt. Non defuerunt Anabaptistæ, non alii (ut satis notum est) sectarii. Quid igitur boni in Episcopatu? Non plus quam in Romana Inquisitione. Veritatem simul cum erroribus, nisi suis, persecuti sunt. Sed de his plura in ipso opere audies. Interim vale, & laborantes sub cruce Ecclesias precibus tuis adjuva.



DE STATU ECCLESIARUM IN ANGLIA.



NGLIA his quatuor annis facta est colluvies & lerna omnium errorum ac sectarum. Nulla à condito orbe Provincia, tam parvo spatio, tot monstrosas hæreses protulit, atque hæc. Episcoporum tempora, intra LX annos, non nisi quatuor sectas protulerunt, & eas plerumque in obscuro latentes, Puritanos, Brownistas, Familistas & Anabaptistas. Puritani erant viri pii & Orthodoxi, qui ab Episcopis, quod ad gubernationem, Cerimonias & superstitiones quasdam, dissentiebant. Brownistæ omnino secessionem ab Eccl. Angliæ, tanquam Antichristianâ & spuriâ, fecerunt. Familistæ meri fanatici erant, in complura genera distracti. Anabaptistæ rari, & fere in solo Pædobaptismo, hærentes.


At nunc ab his retro quatuor annis innumeræ hæreses pullulârunt, & quotidie latius diffunduntur. *Primo* omnium, abolitâ Hierarchia Episcopali, Orthodoxos controversia quædam de Regimine Ecclesiæ in duas partes distraxit; ita ut hi dicerentur Presbyteriani, alii Independentes. *Presbyteriani* fere sequuntur Ecclesias Reformatas in Belgio, Galliâ, Germaniâ; & statuunt regimen Eccl. deberi administrari à Presbyteriis, Classibus, Synodis. Independentes totum regimen ad unam particularem Ecclesiam revocant, & claves toti Ecclesiæ particulari, non Presbyteris, traditas sustinent. Negant subordinationem Ecclesiarum; Classes, Synodosque enervant.

Hi Independentes, cætera Orthodoxi, fraude Diaboli commune latibulum hæreticorum facti sunt. Nam quia ipsi pro libertate conscientiarum pugnant, & quamlibet Ecclesiam sui juris faciunt; factum est, ut omnes hæretici se sub hoc speciosum nomen recipiant, & Independentes dici velint.

Itaque Independentes in Orthodoxos & Fanaticos distinguendi sunt. Quam distinctionem inprimis apud Cismarinos observari velim. Ne, dum de sectis, schismatis, hæresibus, confusione Independentium multa & mira audiunt; ea de omnibus accipiant, & ita sanctissimis Ecclesiis injuriam faciant. Quanquam enim negari non possit, Orthodoxos Independentes quosdam haud leviter schismati opitulatos, propter quod etiam Ecclesiæ Dei satisfactionem ab ipsis requirunt: tamen & in doctrina sani, & in reliqua vita sancti sunt. *Orthodoxi Independentes* in solo regimine à Presbyterianis dissentiunt; Cætera, quod ad substantiam, Ecclesiis Reformatis ὁμογνώμονες. *Fanatici Independentes* vix in suas classes distingui possunt: tanta est varietas, & pugnantia. Præcipua genera sunt: *Anabaptistæ, Libertini, Ariani, Antiscripturistæ, Chiliastæ, Antinomi, Manifestarii sive Arminiani, Familistæ, Enthusiastæ, Quærentes sive Exspectantes, Perfectistæ, Sociniani, Antitrinitarii, Sceptici.* Hæc genera recenset Thomas Eduardus in Gangræna sua; sed minus accuratè. Possunt reduci ad pauciores classes, sic ut *Ariani, Sociniani, Antitrinitarii* sub uno; *Anabaptistæ, Enthusiastæ*, &c. sub altero contineantur. Omnes hæ sectæ cum Independentibus in uno tertio conveniunt; & Independentes iis, magno Ecclesiæ præjudicio, favent. Nam volunt Ecclesias esse Independentes à Synodis, & pro libertate conscientiarum contendunt, ita ut omnes sectæ tolerentur, quæ in fundamentalibus contra Papistas consentiant. *Sceptici sive Quæstionistæ, Quærentes, Exspectantes,*

tes, omnia Religionis capita in dubium vocant, nihil certi ſtatuentes, niſi libertatem conſcientiarum & Prophetiæ. Sed notandum eſt, omnes has ſectas ita inter ſe mixtas ac confuſas eſſe, ut nulla ſe in ſuis principiis contineat, ſed ſimul ſint Anabaptiſtæ, Antinomi, Maniſeſtarii, Libertini, Sociniani, Millenarii, Enthuſiaſtæ, &c. *Communia dogmata* omnium ſectarum, & quaſi vitalis ſpiritus, ſunt: Debere concedi omnibus libertatem conſcientiarum: Eccleſias Presbyteriales eſſe falſas, & cum iis non communicandum.

Schema ſectarum recentium:



Sed quoniam hodiernus Eccleſ. Anglicanæ ſtatus penitiùs introſpici non poteſt, niſi extrema Epiſcoporum tradantur, qualia ſub infelici Laudo fuerunt; ex quibuſdam qui magna perſecutionis pars fuerunt, quædam in hanc rem repetenda ſunt

Ex *Ioh. Baſtwici* πράξει τῶν Ἐπισκόπων, ſive *Apologetico, ad Præſules Anglicanos.*

Damnatæ luctu & ineditâ familiæ innocentiſſimorum hominum. Egregiæ animæ ob id ſolum mœrebant, quod

in publico Religionis dehonestamento lætari non poterant. Illi opibus & beneficiis saginati, qui Romanæ Ecclesiæ decus tuebantur, Hierarchiam asserebant, ritus propugnabant, & quò quis rebus novandis intentior, eò præ cæteris honore & gloriâ attolli. Lineæ vestis neglectus esuritione, Cerimoniæ parùm elegans cura vinculis, altare rusticiùs veneratum, nervis & robore expiatum. Adeóque piis hæc vox contra Episcopos extorta : Imperatis, dominamini, agitis, rapitis, vexatis, cuncta pro libidine! Libertas, nomen, existimatio omnium nostrûm censuræ vestræ subjacent. Hic fortunis exuitur. Ille cum sordibus confligatur. Alter inopiâ contabescit. Non nemo in pediculoso carcere puram animam, & quâ mundus indignus est, inter pedores efflatam Deo reddit. Totæ familiæ, nec ignobiles, à vobis mactatæ, ad pudendam inopiam delapsæ sunt. Quo tandem in regno immitior dominatio est, quàm illa Episcoporum? Omnium regnorum duritiem curiæ vestræ acerbitas egreditur. Nec clementiæ aut bonitati imputandum, quod à vita membrisque saginatas manus abstinetis. Optimi & indulgentissimi Principis illa bonitas est, qui bibituro sanguinem nostrum furori frenos injicit. Ille si laxaret habenas, in lanienam, in cruces, in ignes, illa feritas erumperet. Quia mortis pœna vobis negata est, cruciatum in reos omni morte intolerabiliorem editis, carcerem, ignominiam, inopiam, famem & in corpore ærumnoso, devotam diris animam. Conscientiam vestram appello, Præsules, quot divinissimorum hominum voces jussu vestro exstinctæ obmutuerint? Scio, quid prætendatis huic facinori; Turbulentos, factiosos, refractarios ab Ecclesia remotos fuisse. Vetus sceleri prætextum. At eorum plurimi Ecclesiæ regimen ne verbo quidem læserunt. Pompam omnem Cerimoniarum in Ecclesiis suis passi sunt: Ministerium rite susceptum

ceptum obierunt decorè, vitam egerunt labe & dedecore vacuam, & ipſis etiam hoſtibus probandam. Sed id ad perniciem valuit, quod in propria perſonâ ritibus nonnullis defungi conſcientiæ imbecillitate prohiberentur. Hinc iræ, minæ, carcer, exſilium, velut in piaculares victimas intentata fuere. Hinc latitantibus vel profugis tralatitiam humanitatem exhibere, fraudi multis fuit, omnibus vetitum. Nolite Cerimoniarum neglectarum obtentu culpam prætexere. Probos, pios, & iiſdem, quibus Apoſtoli, mandatis inſtructos paſtores ejicitis. Neque ſtetit furioſa hæc pœna intra numerum eorum, quos Eccleſiæ regimini infeſtos fingitis, ſed pervagata fuit in capita omnium eorum, quos concionandi diligenter nimiùm & ſedulos putabatis. Hinc uno fere ictu exciſi omnes, qui extra ordinem in parochiis prædicandi munus, nomine lectorum, ſequebantur. Hoc enim inter vos ſæpe dictitatum accepimus: Nimiâ verbi prædicati ubertate laſcivire homines. Amputandam concionum & concionantium luxuriam. Dictum factum. Ceciderunt paſſim laudati viri, cadentque plures. Tranſeo articulos novos, aucupium novum, quibus boni viri irretiantur. Vocat me liber ille legifragus, expugnator quarti præcepti, impunitate nos pelliciens in crimen, à quo nullis ſatis pœnis nos Deus deterruit. Proh dolor! quanti ſtetit Eccleſiæ tot fideliſſimis paſtoribus orbatæ, ob hanc ſolam culpam, quod commodare vocem propalando flagitio vererentur? Scio vos reſponſuros, jubere Regem, ut editus à ſe liber ore miniſtri prælegatur populo. Videmus in libri fronte regium nomen; ſed latere fraudem Epiſcopalem non minùs ſuſpicamur. Pietas & Juſtitia Regis nos vetant credere de illo, quod virtutibus his contrarium eſt. Procuſum hoc inductumque ab Epiſcopis commentum, ut externatæ pietati victrix illuderet τ̃ βεβήλων caterva, ſimulque introſpectâ voluntate fi-

delium Paſtorum, qui beneficium poſt pietatem habent, veteribus & bonis expulſis, locus pateficeret novis praviſque, qùibus omnia cum precio honeſta ſunt. Quid enim, ſi hoc non eſt Euangelio ſpiritum intercludere? Jam verò cum bipedi indocto, caudici ſericato, vix callenti literas, duo, ſæpe tria, forte plura beneficia, velut fortunæ quædam miſſilia adjiciuntur, nihilne detrimenti Euangelium accipit? At bone Deus! quos ille curiones in parva beneficia velut Proprætores in Provincias mittit, quàm ſibi ſimiles, quàm pares? Non ovum ab ovo indiſcretius. Sic in populis ignorantia nutritur, ſic ſtupor alitur, ſic in herba Euangelium ſuffocatur. Dei mandatum eſt, ut diem ſeptimum negotiis noſtris ſubductum, cultui ſuo & venerationi dedicemus. At juſſu veſtro dies ille inter Deum hominesque diviſus, magnâ ſui parte in luſus profanos, cantus, tripudia, luctas diſperditur. Ita proculcato divino præcepto, obſequium mandatis veſtris per pœnas exigitis, pulſis ſede ſuâ miniſtris, quos Dei, conſcientiæ, Eccleſiæ diverſum ſtatuentis reverentia, à prælegendo libro retrahebat. Reſponſa Patrum, interpretationes Doctorum, ſeculorum uſus, antiquitatis conſuetudo, traditiones humanæ ſunt. Illa tamen inſpiratis divinitus Scripturis, illorum authoritatem harum dignitati præponitis. Verba veſtra in frequenti curia exſultabant. Quaſi hoc vobis dedecori futurum eſſet, ſi ſciat populus, quàm parvi apud vos Scriptura ſit. Hoc palmarium erat: Nos nec ſcire, nec noſcere Scripturas, niſi Patrum teſtimonio. Sanè Epiſcopus Elienſis ſcripturas appellabat hæreticorum effugium, & latibulum ſchiſmaticorum. Quod argumentum nec ſpernebat, culpabatve, Cantuarienſis. Londinenſis verò præfabatur, ſe magnum quid exſpectaſſe in eo libro, cujus authorem tantæ confidentiæ plenum animadverterat. Cæterùm inveniſſe pro theſauro carbones; *Nihil præter Scripturam.*

Nec

Nec diſſonabat ab Elienſi vir acer, in Scripturarum Epitheto: *Latebra hæreticorum.* Elienſis me omnibus è trivio maledictis conſpuebat, quòd ſolâ Scripturarum authoritate, ſuffragio hæreticorum, uterer. Illas enim niſi „ Patrum interpretamentis & traditione aperiantur, tene- „ broſas & obſcuras eſſe. Illis ipſum Auguſtinum credi- „ turum non fuiſſe, niſi propter Eccleſiam. Illas ab Apo- „ cryphis & profanis, niſi Patrum judicio, non diſcerni. Pa- „ trum operâ nobis Apoſtolicum Symbolum innoteſcere. „ Illorum è luce Scripturis oriri claritatem.

Pios homines & Deo devotos, mancipatoſque Religioni, probroſo Puritanorum nomine diffamâſtis. In hos curiarum veſtrarum deſpumant odia & ſævitiæ. Horum conventus & preces, exitiali vocabulo conventiculorum inuſſiſtis. Hos carcer, ignominia, paupertas exedunt. Hos inter privatos ſermones dicteriis, pro concione maledictis, apud regias aures diris calumniis petitis, vulneratis, confoditis. Si pluvia, ſi æſtus nocuit, Puritanus culpatur. Sterilitatis, peſtilentiæ nocumenta, inviſis horum capitibus adſcribuntur. Quicquid Deo peccatis iraſcente evenerit, Puritanis imputatur. Ac in incomparabili clementia Principem contra crudeles Hamanum artes Deus obarmaſſet, jamdudum velut in piaculares victimas (ſcio quod loquor) laniena ſæviretur.

Poſt dedecoratas ſacras literas in Calvinum efferveſcit intemperies. Illum *Elienſis* hominem impurum, obſcuro mundi angulo deliteſcentem, increpabat. *Cantuarienſis* verò turbidum, & avidum rerum novarum, Epiſcopis inimicum, ut illis dejectis, Magiſtratum faſtigio ſuo facilius evolveret. Mirabilis erat in hoc negotio univerſi conſeſſus conſenſio, Calvinum Magiſtratui inimicum fuiſſe; Omnes Calvinianæ ſententiæ ſectatores Monarchicis Imperiis adverſari. Cæterùm Epiſcopos Presbyteris dignitate præcellere,

cellere, eandem ab Apostolis divino jure institutam, diutinâ Patrum serie probatam, agnitam, honoratam fuisse, donec à Calvino prætexente ambitioni modestiam, primùm impeteretur. Quem *Eliensis* etiam virum nequam, cuncta prioribus seculis placita pervertentem, nominabat.

Idem author syllogen habet usurpationum, quibus Episcopi imminuerunt prærogativam Regis, contra disertas regni leges & statuta. Non deterret vos, *inquit*, Edictorum severitas, Præsules, à fabricandis constitutionibus novis cerimoniis, canonibus, articulis juris-jurandi formulis, quæ Rege inconsulto, nullo accepto mandato, typis divulgatis, Ecclesiarumque Gardianis observanda exsequendaque committitis, præscriptis tantùm nominibus & authoritate vestris; tanquam Legislatoria potestas summa sit penes vestrum ordinem. *Et paullo post:* Hujus aliarumq; prohibitionum ejusdem farinæ cursum prælati prædominantes præcluserunt, in grave præjudicium coronæ & dignitatis regiæ, nec non contra antiquissimam regni nostri consuetudinem. Tamen se Regis regnique amicos integerrimos jactare haud erubescunt, ipsosque hac in parte contradicentes schismaticos, conspiratores, Puritanos, Novatores, regis, regni, Ecclesiæque hostes infestissimos, usque ad ravim passim vociferantur. Contra mentem hujus Statuti, Præsules, jurisdictionem vestram vindicatis, non quasi derivatam à Rege, & per Regem, & sub Rege constitutam; sed tanquam jure divino vobis datam & concessam: censuris, pœnis, carcere, publicatione bonorum sævientes in Regii juris & Prærogativæ patronos. Imò eò provehimini audaciæ, Præsules, ut laicis jurisdictionem Ecclesiasticam convenire negetis, nisi à vobismet ipsis, in eosdem derivatam. *Idem:* Quo loco profani, perjuri, Idololatræ vel impunitate vel veniâ gaudent; ibi boni, pii, honesti, contemtam Cerimoniam vestis, vel lignum non

non veneratum,libertatis,bonorum,nominis jacturâ luunt. Romanorum hoſtes & oppugnatores verborum,minarum, carceris,inopiæ ſævitiâ premitis. Hinc animos deſpondent boni, Spiritus induunt mali,marceſcit Religio, ſuperſtitio floret. Friget pietas, Idololatria incaleſcit. Hinc illa venalium animarum, & beneficia captantium, ad altaria veneratio; illa ſolemnis ad orientem obverſio, illa profunda ad ſonum ſyllabarum Jeſu geniculatio.Hos ritus pœnis ſanxiſtis:horũ cultores præmiis beatis. His ſuperſtitionis primordiis Idololatriæ,toto mox choragio ſecuturæ, præluditur.

Nonne itaque Prælati illi Pontificiorum partes agunt, qui Chriſticolas altari genu flectere inſtituunt, imò etiam vel pœnis adigunt? Qui alias Papiſticas ridiculaſque Cerimonias diligentiùs, quàm ipſa Dei præcepta & Euangelii myſteria inculcant, earumque omiſſionem vel neglectum (non à contumacia, ſed conſcientiâ religioſiſſimorum progredientem) atrocioribus ſuppliciis, quàm divinæ Legis violationem, atrociſſimave ſcelera vindicant: qui concionatorum fideliſſimorum ora, ne peccati Antichriſtique regna labefactarent, paſſim ad lubitum contra Chriſti Canonumque ſtatuta, impiiſſimè præcludunt; quique ſuaviſſimum Jeſu nomen genuflexionibus ſuis aſſiduis idolizant, ſupraque Dei Patris, Filii, Spiritus ſancti, Immanuelis, Chriſti, Salvatoris nomina tremenda multis paraſangis evehunt.

Hæc ex Πράξει τῶν Ἐπισκόπων Joh. Baſtwici. *Laitonus* ſummatim: Non legimus, *inquit*, de majore perſecutione contra populum Dei in ulla natione Euangelium profitente, quàm in hac inſula, in primis poſt exceſſum Elizabethæ. Summa huc redit. Cum primitus ſub Edoardo VI, ac iterum ſub Eliſabetha, Papæ primatus, cum falſa doctrina, fuiſſent regno Britanniæ ejecta, Epiſcopatus ſive Hierarchia Papalis, demto tantum capite,cum externo Romanæ

Ecclesiæ cultu ac cerimoniis, retentus est. Igitur tota externa administratio sacrorum Papistica fuit, tota Hierarchia Papalis. Quod etiam ex hoc patet. Cum Papa excommunicare vellet Elizabetham, Franciscus Wallinghamus callido commento eum circumvenit. Duos Papales exploratores quasi secreto in Angliam traduxit; ibique ostendi iis curat sacra solemnia Cantuariæ & Londini, in omnibus Pontificalibus, cum pompa & processione Prælatica, decantata & lecta. Hinc mirati Papam ejus regni excommunicationem moliri, quod Romano cultui tam addictum esset, Romam revertuntur; quid viderint narrant; non alia apud Anglos sacra obtinere, quàm quæ & Romæ sint. Sic Bullâ revocatâ, terribile illud fulmen tum evanuit. *Laiton.* Et satis constat, quod Carletonus Cicestriæ Episcopus in vita Elizabethæ tradit, Pium IV Anglis obtulisse cœnam sub utraque specie; & Liturgiæ (quâ utebantur) vernaculæ confirmationem, modò Primatum Papæ agnoscerent.

Ex hac Hierarchia, plus damni Religio in Anglia accepit, quàm Marianis temporibus factum. Primò enim pii, quibus adversa erat illa Episcoporum pompa, fastus, cruces, cerimoniæ, candidæ, & alia nugalia, odioso Puritanorum nomine proscissi sunt. Mox, crescente contentione, alia quoque in contemtum nomina conficta; & Prælati illos, qui disciplinam Genevensem sequebantur, Calvinianos, Presbyterianos, disciplinarios, omniparios vocabant: ut ex Laitono & Bastwico patet. Deinde cùm pii viderent indies magis ac magis superstitiones ac impietatem sub Prælatico regimine crescere, secessionem omnino fecerunt, ac patriâ ob id pulsi, in schisma & graviores errores lapsi sunt. Ita ut Separatismus sive Brownismus non alios habeat authores, quàm cum Tyrannide & superstitione Episcopos dominantes.

Sed

Sed quamvis Prælati etiam ſub Eliſabetha graves eſſent, cujus ad Reformationem pronum animum variis calumniis intricârunt; dicentes: Si diſciplinam conſtituat, à quolibet paſtore pagano Regiam Majeſt. excommunicatum iri: tamen nec ſub ea, nec ſub Jacobo, auſi ſunt Hierarchiam juris divini facere. *R. Jacobus*, flagrantiſſimus Epiſcoporum pater, non tamen unquam eò adigi potuit, ut Epiſcopos jus divinum ſibi arrogare permitteret. Itaque hactenus jugum regiæ authoritatis, utcunque frementium ac furentium Prælatorum humeris impoſitum manſit. donec ſub Carolo Rege ad eam impudentiam prolapſi ſunt. Et teſtatur Baſtwicus: Epiſcopum Elienſem certare paratum fuiſſe Epiſcopalium Infularum pignore; ceſſurumque ſe beneficio, niſi probaſſet authoritatem Epiſcopalem à jure divino, nec Regi obnoxiam eſſe. Idem Cantuarienſis adſeverabat. Nam Epiſcopos Regibus vetuſtiores eſſe.

Initio Jacobi canones condiderunt, & majorem Tyrannidem quàm antè exercuerunt. Statim ultra cccc miniſtri ſilere juſſi, ſuſpenſi & ejecti. Conſcientiis omnium impoſita ſubſcriptio Liturgiæ, articulorum, Ordinationis, Homeliarum: ita nimirum, ut quilibet ſubſcribere cogeretur, nihil in illis liberis verbo Dei contrarium, ſed omnia ei congrua eſſe. Cum condiderunt juramentum ex officio, quo ſeipſum quilibet accuſare tenebatur. Regem omnibus modis ad abolendas conciones impellebant. Cumque aliquando ex Legato Veneto inquireret: Quibuſnam rebus in Italia animas paſcerent; eoque reſpondente: Liturgiâ & lectione Homeliarum; Rex ingemuit; &, O miſeram, *inquit*, ejus populi conditionem! Ad quod Prælatus quidam tum præſens: Longè utilius fore, dixit, ſi plures in Anglia Homeliæ & pauciores conciones eſſent. Quo impudenti dicterio Rex commotus & torva tuens, obticuit.

Ex Historia MSS. authoris anonymi de Bello Britannico.

Interea non melior in Anglia ſtatus, adulto jam ſervitio. Papiſtarum & Jeſuitarum deſperatiſſimi emiſſarii, ad Reginam & in aulam confluxêre, ac publicis muniis præfecti ſunt. Pater Philippus Reginæ à Confeſſionibus, & alii, Papales ac cruentas doctrinas, contra Regem, tanquam hæreticum, propagabant. Conſtitutio Eccleſiaſticorum in aula, ad Papam & Regem Franciæ relata. Juramento fidelitatis omnibus miniſtris Romano-catholicis, ſub pœna excommunicationis, interdictum. Sacerdotes, opera Reginæ liberati, & ejus accuratiſſimis precibus, quæ vim Imperii habebant, defenſi ſunt. Franciſcus Windebancus, præcipuus cui Regis ſecreta nitebantur, Jeſuitarum & Recuſantium ſummus fautor, per quem nihil non conſequebantur. Ob quæ Frater Joſeph Capucinus, Panzani Nuncius Papalis, & alii Romæ Cardinales, ei maximas gratias egerunt. Tot ab Eliſabetha repertæ Leges, tot quas Jacobus tulit; illæ oblivione, hæ (quod flagitioſius) contemtu abolitæ.

Anno cIↃ Dc xxxiv. publicè de reſtituendo in Britannia Papiſmo agi cœptum eſt, Laudo poſt Abotti exceſſum in Cantuarienſem Præſulem elato, cui mox etiam Cardinalitia dignitas, ſeriò & inſtanter oblata. Et tum Papa Nuncios ſuos in Britanniam deſtinavit, primo Gregorium Panzanium, qui Londinum xxv Decembris veniens, mox ad ipſum Regem acceſſum habuit. Romam viciſſim Brettus, ac poſtea Guilhelmus Hamiltonus, à Regina miſſi. Panzanio Georgius Coneus Scotus, fornicator fœdiſſimus, & abominabilis Ganymedes, ſucceſſit, & Cardinalis Barberinus protector Anglorum & Scotorum creatus eſt. Montacutius Ciceſtrienſis Epiſcopus, Arminianiſmi propugnator, Romæ gratioſus, Panzanio & aliis Nunciis familia-

ris.

ris. Cum Conco Rex aliquoties egit, ut Palatinatûs restitutionem adjuvaret. Quod palàm se facturum promisit, clam interim contrarium Papæ suadens, ne videretur hæreticis favere. Windebancus communicare cum eo consilia omnia, etiam nocturnis conventibus. Adeò crevit audacia, ut Collegium Jesuitarum, Monasteria, & per universum regnum Hierarchiam Papalem, juxta omnes gradus stabilirent. Atque hic rerum status cum esset, fieri non potuit quin maxima rerum conversio sequeretur. Cujus hæc occasio fuit.

Episcopi inde usque ab Elisabethæ regno, de miscendis cum Papismo Protestantium sacris per subdolam & impiam unionem egerunt. In quem finem illos, qui Religionem conservatam volebant, odioso Puritanorum nomine, exstirpare primò omnium conati sunt. Nam ritus ex Papismo retentos vel repetitos imperabant, crucem, certa vestimentorum genera, nudum in sacris caput, surgere ad *Gloriam Patri*, Euangelium, & alias cultûs partes. Pro ejusmodi ludibriis atrociter in Non-conformistas sævitum. Nec indifferentia tantùm urgebantur, sed illegitima ac impia. Ministris detestandus liber in Sabbati profanationem legendus. Monstra juramentorum *ex officio* & *Canonicalis obedientiæ* Inquisitionem superantia, exigebant. Observandi Canones nullâ, nisi Episcoporum, authoritate conditi. Idem tempus novas cerimonias accepit. Mensæ in altarium formam erectæ, ad eas ingeniculandum. Sacra domi & privatim repetere, ingens crimen. Et hæc erat illa Papalis uniformitas, à qua si quis ad conscientiam & verbum Dei provocaret, is statim tanquam Puritanus oppressus. Quæ tyrannnis sub Jacobo & maximè Carolo invaluit. Superstitiones & Papismum abominari idem apud Episcopos & aulicos, ac Majestatem & Ecclesiam violare. In tales per tribunalia sua & animarum tricas non mitiùs

ſuſpenſionibus, excommunicatione, deprivatione, degradatione, quàm ipſa Inquiſitio Hiſpanica ſæviebant. Talibus ſilentium imperatum, tales carceribus macerati, proſcripti. Paullatim ad duriora ventum eſt, & facto ab auribus initio, de capite periclitatum. Itaque ejectis fideliſſimis paſtoribus, quos ſciebant illi quem moliebantur Papatui acerrimè contradicturos, plerumque pigra mancipia, homines ventri & gulæ deditos, & in ejus gratiam quævis Idola culturos, in vacantes locos ſurrogârunt. Nullibi corruptior clerus. Ita enim ſe appellabant, more Papiſtico. Ebrietas, contemtus Dei, profanatio Sabbathi, exigua iis peccata. Nec puniebant Epiſcopi, modò bonos Epiſcopales viros ſe præberent, & Papiſticas cerimonias, pigram Liturgiam, odium Puritanorum, populo ſtrenuè ingererent. Jam ſi Arminianiſmus & major in Papiſmum favor acceſſiſſet, tum verò Cantuarienſis, tanquam infulâ dignos extollere. Utque gliſceret dignatio Sacerdotum, & iis promtior animus foret ad capeſſendas Cerimonias, certiſſimis ſuffragiis ad dignitates promoti ſunt maximi ſuperſtitionis fautores.

Jam alii erant Non-Reſidentes, Pluraliſtæ,qui Spirituali polygamiâ fœdi & maculoſi, opes non animas curabant, fuci inertes, Decani & inutiles Præbendarii, ſaginam velut Monachorum & Abbatum progenies,ſtipendiis gratuitis alentes. Sic exſtinctâ Euangelii Luce, fœda ſucceſſit & craſſa ignorantia, ſuperſtitio, Atheiſmus, Papiſmus, Arminianiſmus. Et ut peremtorium ac ſine ſpe malum eſſet, ipſi fontes, Academiæ Oxonienſis & Cantabrigienſis, Papiſticâ & Arminianâ tabe infecti, unde venenum in omnes regni partes emanaret. Quanta verò Sabbathi profanatio! Nec ea tam vitio hominum,quàm legum ſeveritate ſancita. Ut alibi quoque, proh dolor, ea obtineat; certè non legibus jubetur,nec eæ in templis per miniſtros prælegun-

tur.

tur. Licet iis tantam impietatem deteſtari, quam Cantuarienſis Laudus per clientes ſuos, Heylinum & Poklingtonum,ſacri legis ſcriptis propugnavit. Et quod omnem impietatem ſuperat, vetitum miniſtris præcipua & conſolationis pleniſſima capita, de gratia, Juſtificatione fidei, Prædeſtinatione, certitudine ſalutis, perſeverantiâ ſanctorum, populo proponere.Prætextus ab Epiſcopis quæſitus:abſtruſiora eſſe quàm ut vulgò tractari debeant.Nec paſſim,ſed in cathedralibus templis;nec ſemper,ſed præcipuis tantùm feſtis,ea de re dicendum.Si quis contrà faceret,ſtatim graves ei à ſacra curia pœnæ paratæ. Pleræque conciones ad Regam, gliſcente adulatione, in prærogativa ſuper leges extollenda, verſabantur. In Religionis, Legum, Libertatis defenſores, invectivæ. Ipſe Laudus, quanto indies apud Regem potentior, eodem actu inviſior, interdum Sacerdotem unum vel alterum ex ſimplicioribus, ac Recuſantes inopes, in ſpeciem puniebat. Ut quis major, veluti ſacroſanctus fuit. Leves, ignobiles, & rariſſimè, pœnis affecti. Præcipuos defendit, ac intimo favore proſecutus eſt, Patrem Leandrum ſuperiorem Benedictinorum, & poſt obitum hujus, Priccium, Gaſconium, ac totam Jeſuitarum familiam. Et ut apud Reginam gratioſior eſſet, altaria reſtituit, ingeniculare in uſu ſacramentorum & ad nomen Jeſu, conſecrare templa & alias Papiſtarum rancidas nugas, inſuper Papalem Cleri ſuper Regis ac Magiſtratus Tyrannidem, revocavit. Atque hæc inſtituta fœda, finiſtra, nullo argumento, ſolâ pravitate valuerunt. In Puritanos, id eſt, homines Deum timentes ſine fuco, velut alter Julianus, horrendis modis ſæviit. Id actum, ut ſub cerimoniarum Trojano equo, Papiſmus reduceretur. Quod uſque adeò manifeſtum fuit,ut Præſules,iiſque addicti curiones, animos hominum pro concione palàm inficerent Papiſmi fermento. *Et paullò pòſt*: Ex quo piorum lamentabilis

fuga

fuga secuta est. Qui illam Sabbati profanationem, illos ritus impios ac superstitiosos, illam Prælatorum plusquam Romanam tyrannidem non ferentes, in Belgium & Novam Angliam, irreparabili damno, confertim & multa simul millia, abierunt.

Cum Ecclesias Anglicanas suis superstitionibus Papisticis gravissimè corrupissent, & eò jam provecta esset Religionis mutatio, ut nihil, humanitus loquendo, ruinam ejus impedire posset, ad Scotiam Laudus, ferox scelerum, progressus est. Initium ibi à Regis sacello factum, ad cujus postea exemplar cætera deformanda essent. Edinburgi, quod ne quidem sub Papatu fuerat, Episcopus constitutus. Altaria, organa, & alii ritus, inde usque à prima Reformatione Scotis ignorati, revocabantur. Altera liturgiæ cura, quam Regali & Episcopali authoritate, absque consensu Parlamenti vel Synodi Nationalis, crudo adhuc servitio, introduceret. Et quoniam certum erat Scotos ab Anglicana abhorrere, ideo nova, longè adhuc deterior ac Papismo propior, ab Episcopis ex Romanis Missalibus, consarcinata. Ipse Laudus censor ac Aristarchus, & ad terrorem populo incutiendum, ne se innovationibus Papisticis opponeret, in trium facultatum Doctoribus, Burtono, Prynnio, Bastwico, prætentata persecutio, qui crudelissimè truncati auribus, & exsulatione multati, ut longâ tabe perimerentur. Non alii visentium oculos majori misericordiâ affecerunt, & indignissimum exemplum ita omnes excitavit, ut populus præ dolore & impatientiâ fureret. Nihil hoc Cantuariensem movit, qui Liturgiam Scotis vel Britanniarum ingratiis per arbitrariam vim imponere conabatur, ut ita ad Religionis mutationem, quam animo agitabat, promtiores essent.

Vicesima tertia Julii dies erat, quo A. C. 1637. prælegi in omnibus templis Edinburgi Liturgia debuit. Tum apparuit,

paruit, quo animo gens domûs Dei zelo ardens, Papiſmum ferret. Tanta indignatio coorta eſt, ut Epiſcopum cum lineis ac laneis Pontificalibus, & infelici Liturgia, haud parùm de vita periclitantem, ejicerent. Atque hinc turbarum in Scotia initium. Cantuarienſis aliquem id contra ſe & Papatum auſum acerrimè indignatus, cenſet tanquam in perduelles animadvertendum, & conſcientiam armis expugnandam. Scoti verò mortem Epiſcoporum Tyrannidi & Miſſaticæ Liturgiæ præferebant. Hinc ira, queſtus; & poſtquam non ſubveniebatur, remedium ex bello. Cum horribiles Proclamationes nihil proficerent, expeditio in eam gentem decreta eſt, cujus authores duo & ſoli fuerunt, Cantuarienſis ac Straffordius. Qui Hybernos Papiſtas, tanquam omnium fidiſſimos, ſuſpectis haud parùm Puritanorum nomine Anglis, in Scotiam armare cœpit.

In ſequentibus author prolixè perſequitur primum ac ſecundum Bellum Epiſcopale, quod Cantuarienſis contra Scotos movit: Ex quibus pauca tantùm ſparſim excerpemus.

Archiepiſcopus interea inauditos Canones, pro dominio & ſuperſtitione Prælatorum, in Regem, Leges, Parlamenta, Libertatem, injurios condit. Et ut Tyrannis Prælatica pluribus munimentis inſiſteret, juramentum atrox conflatum eſt, quo omnes in Hierarchiam jurare cogebantur. Tam propinquo exitio penè fidem ſuperat, eripi potuiſſe Angliam. Compoſitæ contra Scotos preces, quibus per omnia templa, graviſſimis inſuper diris, devoverentur. Atrox fidelium perſecutio. Papiſtæ exemti pœnis, ſuavi toleratione gaudebant, in aula & exterorum Principum interceſſionibus validi. Dux gregis & oraculum Papalis Nuncius, &c.

Hic, usque ad æterni Parlamenti initia sub Prælatis maximè ultimo ac deterrimo Laudo, Ecclesiæ Anglicanæ status fuit. Schema tale est.

PROTESTANTES.

PRÆLATI	PURITANI
Conformistæ	*Non-Conformistæ*
Arminiani, Papistæ.	*Presbyteriani, Independentes.*

De Statu Ecclesiæ sub æterno Parlamento sic loquitur author. Initio magni Parlamenti deprehensum fuit, Britanniam salvam esse non posse, nisi Episcopi semper atroces, ac ubi de Libertate & reformatione ageretur, dissentire manifesti, ex Parlamento tollerentur. Synodus ipsorum nupera, Canones, Juramentum, tanquam illegitima & Antichristiana damnantur. Scandalosi sacerdotes, inertia, vitiis, Arminianismo, Papismo maculosi, Non-Residentes, Pluralistæ, Decani, Præbendarii, abrogantur. Populo restituta facultas pios & fideles ministros eligendi. Revocantur ab exsilio & carceribus pii confessores. Quis ejus diei gaudia describere possit? Prælatica Inquisitio, horror Angliæ, omnis pietatis carnificina & tormentum, curia supremæ commissionis, in æternum dejecta. *Tum commemorat*, quomodo maligni, Rege ex Scotia Londinum reverso, Parlamentum criminati sint: Liturgiam spretam, Leges Ecclesiæ inhibitas, sacra ab illiteratis opificibus contaminata. Quæ (*inquit*) calumniæ fluxerunt ex hoc memorabili senatus consulto, quod à communi VIII. Sept. 1641. conditum est in hæc verba: Mensa ex oriente templi in alium convenientem locum ponitor. Cruces, picturæ Trinitatis, imagines Mariæ abolentor. Omnis ingeniculatio ad nomen Jesu vel in orientem omittitor. Dominica dies rite & piè sanctificator. Conciones ad populum etiam post me-

meridiem habentor. Nihil ſanctius hoc decreto. Sed quoniam innovationes Papiſticas & Epiſcoporum intolerabilem Tyrannidem eliminabat, in crimen detortum eſt.

Sed jam audiamus ipſos ordines, qui memorabili narratione de ſtatu Regni, typis evulgata, poſtquam Regi exhibita Hamtoncourtiæ fuiſſet, ita ſtatum Eccleſiæ ſub Prælatis depingunt.

Cauſa (*inquiunt ordines*) omnium malorum noſtrorum, penes Jeſuitas, Papiſtas, Epiſcopos, Conſiliarios & aulicos ab exteris corruptos, fuit. Horum artibus factum, ut perpetuæ inter Regem ac populum de prærogativa ac libertate quæſtiones exſiſterent; ut puritas Religionis inficeretur erroribus, oppreſſis quotquot majori ejus zelo flagrarent. Hinc Arminiani in illis capitibus, ubi cum Papiſtis conſentiunt, foti; differentia & quæſtiones inter Proteſtantes in univerſum ac illos, qui invidioſo nomine Puritani vocantur, in immenſum auctæ; Cerimoniæ ejuſmodi introductæ & opiniones, quarum interventu animi paulatim Papiſmo occupari poſſent. Hinc ignorantia & neglectus pietatis laudatus, quo in unum cum Papiſtis, Arminianis & Libertinis paulatim coaleſceret profanorum hominum numerus, cujus auxilio tandem ſuperiores evaderent——— Jam Epiſcopos per tribunalia ſua, animarum tricas non mitiùs ſuſpenſionibus, excommunicatione, deprivatione, degradatione, in pios miniſtros ac alios ſubditos, quàm ipſa Inquiſitio Romana ſæviebant. Curia ſupremæ commiſſionis planè degeneraverat, & cum primo inſtituta fuiſſet contra Papiſtas & Jeſuitas, iis omiſſis, ſolos pios & Deo plenos viros oppreſſit. In eo conventiculo ſceleratiſſimi contemtores pietatis de Religione, piis confeſſoribus ac conſcientiis hominum ſententias ferebant. Quicunque eorum innovationibus, ſuperſtitioni, Tyrannidi non ſe ſubmitteret, is in carceres conjectus, ſuſpenſus, excommunicatus; & ad Cameram ſtellatam

ipſum Iniquitatis tribunal remiſſus, ubi omnia extrema in eum ſtatuebantur. Unde tot millium lamentabilis fuga ſecuta: quorum multi in novam Angliam & alias Americæ partes; alii in Hollandiam conceſſerunt, irreparabili hujus regni damno. Ut quiſque maximus ſuperſtitionum fautor, ita promtiſſimis ſuffragiis ad Eccleſiæ dignitates promotus. Pleræque conciones ad Regem, in extollenda ejus ſuper omnes leges prærogativa verſabantur. In defenſores Religionis, legum, libertatis, regni, graves invectivæ. De miſcendis cum Papiſmo Proteſtantium ſacris per ſubdolam & impiam unionem actum. Puritani (quo nomine complectuntur omnes, qui cupiunt leges ac Religionem in vigore ſuo conſervari) vi & terrore fugati. Scotis idem jugum Papiſticum aptatum, novi Canones, nova Liturgia, & in renuentes exercitus Epiſcoporum ac Papiſtarum pecunia conſcriptus. Archi-Epiſcopus convocatâ Synodo Provinciali plures inauditos Canones, cum Regis prærogativa, legibus regni ac Parlamentorum fundamentalibus pugnantes condidit, pro ſtabilienda enormi potentiâ ſua & ſuperſtitionibus, quas nullo exemplo introduxerat. Extortum ſubditis novum pro defenſione Epiſcopalis tyrannidis juramentum. Compoſitæ contra Scotos preces, quibus eos ut rebelles graviſſimis diris devovent. Et hi Canones armati erant ſuſpenſionibus, excommunicatione, captivatione, quo pacto indubiè omnes fideles miniſtros atque ſubditos ejecturi erant, ſtratâ ad reconciliationem cum Romano Pontifice viâ. Papiſtæ exemti pœnis, ſuavi toleratione gaudebant, favoris ſui in aula haudquaquam expertes. Dux gregis & oraculum certiſſimum Papalis Nuncius.

Hæc Ordines. Jam *ad Synodum*, à qua hæc *Epiſtola de Statu Eccleſiarum Britannicarum* edita eſt; quam integram, majoris evidentiæ ergo, apponemus.

Epi-

Epistola Reverendi Cœtus Ecclesiastici, tum Theologorum Anglorum, tum Delegatorum ab Ecclesia Scoticana,

AD

Varias Ecclesias Reformatas in Gallia, Belgio, Helvetia, &c. scripta, authoritate & decreto Amplissimæ Cameræ seu Domûs, quam vocant Communium, in Ordinum Regni consessu considentium.

PAstores, Doctores, cæterique, tum Angli Deputati in Cœtum Ecclesiasticum, authoritate & decreto utriusque Cameræ, seu Regni Parium & Municipum in Parlamento considentium, coacti; Tum Scoti, à conventu generali Ecclesiæ Scoticanæ ad eundem Cœtum allegati; Salutem plurimam vobis dicunt, & gratiam pacemque à Deo precantur.

Haud dubitamus, quin calamitates, sub quarum onere non tantùm ingemiscunt, sed & penè obruuntur Ecclesia & regnum Angliæ, ad vestras aures jam pridem pervenerint; nam proculdubio Antichristi Negotiatores, pari sedulitate apud vos artifices exstitere serendæ in nos invidiæ, quâ alibi locorum detorquent in grande crimen opus reformationis, quod secundùm Dei verbum aggredimur, & arma quibus vitam hanc precariam tuemur, contra molientes excisionem Protestantium Religionis, & ruinam Reipub. atque sævientes ferro & flamma in intima Regni viscera. Quo magis, est quod desideremus in nostra innocentia saltem excusationem tam diuturni silentii, qui hactenus rerum nostrarum deplorandam conditionem vobis non exposuimus. Verùm à fratribus veniam poscimus & exspectamus, ubi resciverint magnitudine doloris nos præpeditos fuisse; & ex quo in Cœtum coivimus usque adeo tremoris poculo, quod bibendum exhibuit

Deus, attonitos fuisse, ut plane nostri officii nescii fuerimus: Jam cum non tam spatium spirandi, quam penitus cognoscendi morbum qui nos affligit, detur facultas, liceat familiari compellatione exonerare in sinum vestrum dolorem qui nos urit, vobisque exponere calamitates, quas perpessi sumus ab Antichristi sectatoribus, quorum hic labor, hocque opus fuit, sanctum reformationis opus retardare, & in ejus locum, Papismi crassiores fæces reponere: In quo quidem conatu tantum profecerunt, ut nisi Deus, cujus judicia sunt inscrutabilia, & misericordiæ nec metis nec methodô circumscribuntur, opem præsentissimam afferat, funditus periimus.

Non vos latet, quantum hæc viperina progenies contulerit ad ruinam parandam Ecclesiis reformatis extra Angliam; quam promtis animis accincta fuerit in excidium Palatinatus, & jacturam Rupellæ perfide proditæ; quantumcumque sub specioso prætextu legationum & negotiationum, pacem obtenderet; obsessisque & ad incitas redactis, subsidium spoponderet; cum tamen reipsa calamitates eorum foverit, auxeritque. Tantoque magis odium, quo id genus hominum vos prosequitur, conspectius est; quod eorum plerique calumniose exagitent vestras Ecclesias, tanquam spurias & nomine tantum tenus Ecclesias, legitimaque ad sanctum munus cooptatione destitutas, ut quæ Præsulem non admittant, sine quo, si illis fides, ordinationem quamcunque, irritam esse temerarie affirmant.

Texenda nobis esset longior commentatio, non Epistola, si singulos actus artesque percurreremus, quibus male ingeniosi homines usi sunt, cum in Magna Britannia, tum in Hibernia, in tentanda eversione doctrinæ Protestantium stabilitæ, & substitutione in ejus locum Pontificiæ Religionis; Hic enim nihil non intentatum, nihil non expertum reliquerunt; quin in plurimis voti compotes fuerunt: quoque rem gnaviter satagerent, nec quicquam ullibi obstaret nefando operi promovendo; sedulam operam navarunt, ut Pontificii legibus sancitis, quibus in arctum cogebantur, solverent-

rentur; caverunt ne Judices in damnatos lege patriâ Sacrificulos, Jesuitasque, sententiam seu exsilii, seu mortis ferrent; liberarent potius.

Nec leves fuerunt artes in Anglia, Hiberniâque, ut Cœnobia fundarentur, & Juventus, quæ Pontificia religione excoleretur, ad Collegia transmarina allegaretur: sub iisdem auspiciis, Papistarum Coryphæi, quantumvis non permittat lex, in Aulam admissi; visique, in curia officia capessere: Plurimi eorum soluti sunt damnis à legibus denunciatis; cautumque ne in delictis præteritis pœna statueretur, neque in futuris culpa censeretur: Invisi qui contra hiscebant: Missi Roma nuncii & negotiatores, quibuscum secreta colloquia habita: Intimi ii & in Aula favore validi, quibus hæc arridebant: at, qui repugnabant fidi purioris religionis professores, seu verbi Divini Ministri, seu alii; male multati, & persecutionibus afflicti: Quæ quidem usque adeo manifesta erant, ut Præsules eisque addicti Curiones, pro suggestu animos plebis inficerent Papismi fermento; omnia propemodum Papalia dogmata; nisi forsan illud de primatu Papæ in temporalibus, docerent; Divinumque cultum mixturâ farraginis novorum rituum commacularent; plebem adigentes ad eorum observationem; reluctantes vero fulmine censurarum amburentes: Hinc factum, ut multi religionem lucro æstimantes, rebus suis grande compendium crediderint, non ultra fucum facere, sed sine circuitu se ad Religionem Romanam aggregare: Multis verò fidelibus verbi Divini Ministris ora obturata sunt, quod eis religio esset, rogatas superstitiosas constitutiones amplecti, & pro concione ad plebem recitare pessimi exempli, pejorisque moris librum, superiorum permissu editum, quo dabatur licentia, die Dominica in eos lusus exspatiari, quos ne quidem profestis diebus, ullæ reformatæ Ecclesiæ admittunt: Ex eo multa millia hominum alio convasavere; pars in Americam delata, pars inter vos sedem posuit. Grave est, quanquam irrito conatu, quod homines male feriati, nupere tentaverint, novum rituale

novum-

novumque librum Canonum obtrudere fratribus Scotis; quos ubi respuisset gens domus Dei zelo calens, & ab omnibus Papalibus reliquiis, ut quæ maxime, aversa, Regis serenissimi animum perpulerunt, ut tanquam in perduelles & hostes animadverteret; armis compelleret ad recipiendum, quod admittere, conscientiæ dictamine præpediebantur. Secundum hæc numerosus exercitus adversus Scotos ducitur; lætis in sinu & acribus accendendo bello Pontificiis, & pontificiæ religioni addictis: operamque & oleum conferentibus, quo Regis optimi animus in suscepta expeditione firmaretur, seque infensum consiliis pacis gereret; atque ei pecuniam, belli nervum, suppeditantibus: Sed antequam ad manus veniretur, placuit Deo, Regi inspirare hanc bonam mentem, ut comitia regni Angliæ ediceret; quibus intercessoribus factum est, ut constiterit de fratrum innocentia, & de injuria illata ab hostibus veritatis; paxque inter duo regna constabiliretur; alioquin invicem secum commissura & in mutuas cædis exarsura; Quin ex occasione discordiæ, facta est firmior animorum consociatio, & concordiæ inter fratres redintegratio; usque adeo ut, Deo aspirante consultationibus Delegatorum utriusque regni, & concurrentibus votis bonorum per universam insulam, quibus idem Deus dederat lugere peccata præterita, & serio ad se reverti, atque desiderio purioris religionis flagrare; affulserit spes repurgandi domum Dei, nemine contradicente, saltem obstante, liberatosque nos crediderimus, ac diebus afflictionis, deinceps successuros dies refrigerii.

Sed rem longè aliter se habere comperimus; nempe Deus qui secretis tantum plagis hactenus nos officii monuerat: nunc Leonis instar rugientis bellum peccatis nostris apertum indicit: Sit nomen ejus benedictum: graviora passis, utcunque graviora paret exitiumque afferat, gravissima quæque nos esse commeritos ultro fatebimur; justum prædicabimus; virgam pœnas exigentem exosculabimur; attamen in ejus amore & ope, quam affuturam tempore opportuno confidimus, conquiescemus: Nec per ea quic-

quicquam detrahi volumus de gravitate horrendorum peccatorum, quæ prioribus delictis cumulum adjiciunt.

Hi ergo conatu res innovandi in Scotia depulsi, ferocius tanto invecti sunt in Parlamentum, totum, circa reformationem in religionis negotio promovendam, intentum: promti fuerunt in omnes occasiones, ut Regis animum avocarent à Parlamento; Regia facilitate confisi, crimina in se intentata eluderent, & in Hibernia excitarent rebellionem, in qua, si fides est ipsis Pontificiis, qui ejusmodi clades, tanquam opima spolia, jactant, centum Protestantium millia ad necem data sunt: Quin ipsis authoribus, Rex selectos aliquot Senatores ex utraque Camera, postulavit reos criminis Majestatis, & armata manu comprehendere tentavit; nec instare desierunt, quin perpulerint ut, deserto Parlamento, aliò secederet; & conscriberet exercitum extrema quæque minaturus. Qui quidem exercitus ad fucum faciendum, edicto ad id promulgato, circa initia conflatus fuit, aut potius conflari creditus, solis Protestantibus & in causam Protestantium; ad cujus exercitus signa, nihil subdoli latens timentes Protestantes, alioqui Regiarum partium sequaces, agminatim confluerent, nam mox fraus patuit; Pontificiis tam qui in Anglia, quam qui extra Angliam, assiduis precibus & votis supplicantibus, ut causæ Catholicæ in Anglia agitatæ felix successus responderet, & quandoque jactabundis, in hæc erumpentibus; brevi postea non amplius locum futurum dissimulationi, se statim affuturos in armis à Regiis partibus, quam primum Protestantes in easdem partes tracti fuerint magno numero, & eis haut tutum, nec specie honorificum referre pedem, fuerit: quod & eventus comprobavit; nam ingens multitudo Protestantiũ, quorum pars sub obtentu conservandæ religionis lege assertæ, tuendæ regalis prærogativæ illibatæ, & privilegiorum Parlamenti intra præscriptos cancellos continendorum: pars verò perduellioni, peculatui obnoxia, eoque nomine à suprema Senatus Curia in crimen vocata, aliique sibi male conscii, cum tota colluvie ga-

 neonum,

neonum, erronum, aleatorum & ejusmodi farinæ hominum, quibus ex rapto dulce est vivere, nec Religio curæ est, in partes Regias ex æquo concessere: quos proxime excepere, si non armis, saltem voto & pecunia, Episcopi illisque adjuncti Decani, Archidiaconi totaque cohors Novatorum, quibus feces Papales cordi sunt: Tum demum omnes Pontificii, quos capit hæc insula, quibus ad benevolentiæ indicium nulla hactenus injuria illata; quin & non nullibi gratia facta, missaticos cœtus publice frequentandi: Protestantibus interim, etiam minus faventibus Parlamento, dura passis; prodiere in arenam muniti Regio diplomate, & promissis deliniti, fore ut pro armis si quæ deperderent pretium exsolveretur; eorumque primarii ad præfecturas acciti: Et ne quid causæ Catholicæ promovendæ deesset, largum auctarium Militum, pecuniæ & commeatus accessit ex Nationibus transmarinis, quibus æquitatem causæ suæ fuco mentiti fuerant. Hac hominum immensa manu, hisque subsidiis, horrendum dictu, quantam, quam latam edant stragem; quibus & quot deprædationibus, incendiis & cædibus, totam Angliam compleant, & addictos causæ purioris religionis persecutionibus affligant.

Porro, quanquam Suprema Curia omnem lapidem movisset, ut regni propugnacula, classisque, tutis manibus committerentur, & necessario bellico apparatu conquisito, se suaque protegeret, adversus furorem istorum belli incensorum, qui Regio nomine abutentes, legem, libertatem & religionem abrogatum ibant. Ea tamen fuit hominum prava solertia, in sensibus abscondendis & prætexendo speciosas causas ausis suis, an potius ea fuit justa ira Dei excandescentis in nos abusos longiusculam pacem, ut hactenus nihil postulatis, libellis supplicibus profecerimus, quo Regem ex impiorum manibus seu subduceremus, seu eriperemus, eosque coram supremo tribunali sisteremus, pœnas debitas persoluturos: quin per totam Angliam fax belli est accensa: Ad cumulum miseriarum eo pertraxerun Regem, ut non solum Hibernos Rebelles

ap-

appellatione subditorum, Romano - Catholicorum, nunc in armis, &c. *dignaretur: sed & eis indulgeret inducias in duodecim menses, eâ potissimum tempestate, quâ res eorum conclamatæ erant: per quam quidem armorum cessationem, gens nata ad occisionem, & qua non alia crudelior & immanior, milite, pecunia, armis & commeatu locupletata nacta sit viam compendiosam, male parta pessimè retinendi, & quod ibi reliqui est Protestantium absumendi, ventitandique in Angliam; in qua, quod in præsens agunt, trudicent Protestantes, pari laniena, cum carnificina, quam in Hibernia inter Protestantes exercuerunt.*

In hac rerum nostrarum miseranda facie, inter tot luctus & ejulatus; Rege adverso votis & incœptis nostris, per fraudem & nequitiam adversariorum; utraque Camera Procerum, consilium à nobis poscit super reformatione Ecclesiæ: quoque negotium felicius procedat, nos convocavit in Cœtum, deliberaturos de repurganda nostra Ecclesia, impuritatibus & humanis commentis & additamentis; deque constituenda reformatione ex præscripto verbi Divini, eaque uniformi per omnes ditiones Regis nostri, ac quantum fieri poterit ad normam Ecclesiarum purioris notæ, accedente; cui operi incumbere cœpimus non infeliciter cum bono Deo, jubente ne parvorum dies contemtui sit.

Hactenus, Fratres reverendi & dilecti, habet is in brevi quasi tabella imaginem an potius umbram, in qua rudi penicillo exprimitur, quæ lugenda sit nostrarum rerum facies: Libertas nostra proculcata, bona direpta & dilapidata, domus effractæ, sanguis in terram effusus, aliaque charissima ademta; tot sunt plagæ, quæ in nos quasi federe facto irruunt: si Deus velit hæcce corpora alga viliora ad terram dari & pedibus conculcari, fiat ejus voluntas: Quicquid pateremur; quin, libenter totam sanguinem profunderemus, dummodo quod superest sanctorum, à furore Antichristi asseclarum vindicaremus, & per nostrum latus,

religionem saniorem vulneratam, & cum ea impetitas Ecclesias omnes reformatas, extra periculi aleam, assereremus. Nam quod gravissimum est, & quæ est adversariorum rabies, haut sanguine nostro satiata, non tam accensa est in nos qua peccatores, quam quia veram religionem profitemur, tuemurque; eoque vota conatusque conspirant, ut toti vacemus reformationis operi. Quod si Deus nos ad prædam exponeret, eorum dentibus confringendos; tremendum relatu! quam opacis tenebris, vinculis arctis, & persecutionibus sævis involverentur, quotquot inter nos recusarent charactere bestiæ signari? Et quid non vobis conjicere datur, passuras ad exemplum reliquas Ecclesias reformatas à bestia ex abysso ascendente; nec non à muliere, quæ jam dudum sanguine sanctorum inebriata, tanto atrocius nunc persequitur chorum virgineum agni comitem, antequam in exitium ruat?

Ordines & Ecclesia regni Scotiæ nullum officium studii & benevolentiæ erga nos prætermiserunt, quo conflagrans apud nos incendium restinguerent, Regiam Majestatem postulatis, Declarationibus & libellis supplicibus, quam vel mollirent vel flecterent, adiverunt: mox sequestres pacis & intercessores se obtulerunt: tandem ubi Regis aures nullis consiliis, hortationibus & precibus patere animadverterunt; mutuo se fœdere cum Ecclesia & regno Angliæ devinxerunt, armaque fœderata sociarunt pro communi causa Religionis propugnanda, pro incolumitate Regis, ejusque Regia dignitate & authoritate asserenda, atque vindicanda patria Libertate, adversus sceleratam factionem, ut fusius habetur in Declaratione, Scotorum nomine edita, & in sollemni fœdere trium Regnorum; quibus luce meridiana clarius boni quique viderint Scotorum pectus fidum & candidum, & nullis sinistris interpretamentis & suspicionibus obnoxium. Authoritate illius regni missi sunt Delegati, quorum nomina posterius subjuncta sunt, ut sub auspiciis ordinum Angliæ partem Cœtus Ecclesiastici constituant, operamque in commune conferant, pro sta-

stabilienda uniformitate religionis in utroque regno: Secundum quæ, iidem Delegati per præsentes vobis notum faciunt, quam alacribus animis hic conspexerint coronam amplissimam tot virorum doctrina, pietate, & prudentia præcellentium: quos offenderint occupatos circa ædificationem domus Domini & jacienda fundamenta doctrinæ & disciplinæ: quo nomine, & pro ratione Christianæ charitatis, qua colliguntur, & fœderis inter Anglos & Scotos initi, obstrictos se reputant id operæ sociare cum fratribus Anglis, in compellandis pariter reformatis Ecclesiis, extra magnam Britanniam: eis exponentes, quæ sit hic rerum turbatarum conditio, ut falsis rumoribus & suspicionibus eatur obviam.

Quod superest, id primum rogamus, fratres, ad quorum æquitatem provocamus, ut ex æquo & bono de nobis & afflicta causa judicetis, nec aurem accommodetis iniquis adversariorum judiciis; neve apud vos vapulemus, tanquam rebelles, & arma sumentes contra proprium Dominum; quibus decretum sit apud se Regiam dignitatem & authoritatem arctioribus cancellis concludere; atque ad epimetrum, anarchiam in Ecclesiam Dei introducere: quas calumnias vel apud trahentes in sequiorem partem, adeoque nullum pondus habituras apud impervios sinistris suspicionibus, abunde diluet fœdus Nationale, cujus apographum ad vos mittimus: nempe non satis fuit filiis Belial concitasse Regis iram in nos, nisi insuper Regio nomine abuterentur, ut manus effugiant Supremi Senatus à quo postulantur Læsæ Majestatis, violati juris municipalis, & religionis corruptæ. Adversus ejusmodi homines contestamur & profitemur arma à nobis sumta; justamque defensionem à nobis oppositam eorum armis. Judicet justus Dominus, cujus non ulterius opem poscimus, quam quatenus hæc à nobis sunt sincero animi affectu allegata: Faxit Deus, ut fratres hæc serio animo volutent, eisque innocentia nostra probetur, quam apud suos prædicent.

 Proxi-

Proxime precamur, fratres, dignemini, in conſimili cauſa, in qua gravia perpeſſi eſtis, nobiſcum συμπαθεῖν; *etenim id erit ægritudinis animi maximum lenimentum, ſuaviſque doloris abſterſio lugentibus, perſentiſcere fratrum viſcera commoveri malo noſtro, eoſque, tanquam membra Chriſti, indolere caſibus aliorum, qui perinde ad conſtitutionem corporis ejus pertinent.*

Denique, obteſtamur vos; quemadmodum Antichriſti ſectatores adverſariorum noſtrorum cauſam agnoſcunt ſuam, fovent omnibus modis, & ampliant; in noſtram vero ruinam in commune conſultant; ſic, quam ſuſtinemus cauſam, reputetis veſtram: Vix enim fieri poteſt, ubi ſemel abſorpti fuerimus, quin periclitemini: neque enim pugnatur adverſus homines; ſed ipſa profeſſio veræ religionis, & pietatis vis oppugnatur. Rationes, quibus noſtram cauſam poſſitis prædicare veſtram, relinquimus veſtræ prudentiæ. Unum ſine conditione petimus, nempe, preces veſtras, tum in publicis veſtris cœtibus, tum in privatis ſeceſſibus, ut Deus, cui ſolenne eſt exaudire preces, confractis brachiis carneis, quibus nimis ſecurè innitimur, ſalutem reddat nobis, & cum pace veritatem afferat, ut è tribus regnis unum lignum in manu Domini fiat; *ob oculos ponat prototypon, ſeu exemplar reformationis Eccleſiæ, congruens cum norma Scripturæ; Eccleſiis jam reformatis de puriori nota conforme; atque idoneum ſervandæ concordiæ inter Anglos & Scotos; quem typum noſtris Zorobabelibus commendemus; nec tam inſtrumenta vileſque operarios, quos operi admovit, reſpiciat, quam ipſius operis dignitatem, cui incumbimus. Audiat Deus flexus precibus veſtris, ut coram nobis montes in planum deducantur; & qui conſpiciunt nos in manu habentes perpendiculum, intueantur juxta lapidem in apice domus Dei poſitum, & junctim plaudant, clamentque,* Gratiam, Gratiam!

Hæc habuimus, quæ veſtris Reverentiis, ſanctiſque de gregibus,

bus, vestræ curæ commissis exponeremus, de rebus nostris; sic jubente jam per se animatos, Amplissimâ Camerâ Communium; quorum, totiusque Cœtus Ecclesiastici nomine, plurimam salutem in Domino impertiuntur

Vestris Reverentiis addictissimi fratres,

Ex Anglis
- Gulielmus Twissus, *Cœtus Moderator.*
- Cornelius Burges, *Assessor.*
- Joh. White, *Assessor.*
- Henricus Robrough, *Scriba.*
- Adoniram Byfield, *Scriba.*

E Scotis
- Joh. Matellanus.
- A. Johnstonus.
- Alex. Hendersonus.
- Samuel Rutherfordius.
- Robertus Baylie.
- Georgius Gillespy.

HIs omnibus subjungere visum fuit, ex concione quadam *Newcomani*, Pastoris Dedhamensis in Essexia, & membri Synodi, ea quæ sequuntur. Nam is totum Papismi reducendi artificium, quo Episcopi Anglicani utebantur, clarè & distinctè exposuit.

Cum Prælati viderent Puritanos abhorrere à dominatrice Hierarchiâ, & fastu illo ac pompâ, eos exscindere penitùs aggressi sunt. Modum à Papistis hauserunt, prout cum *Adamus Conzen* Jesuita, in Politica sua, præscripsit. Primò igitur rem tantam cautè, lentè ac per gradus susce-

pe-

perunt. Sicut Musici instrumenta sua ad concordiam redigunt suavi intentione vel remissione chordarum & molli digito; Sicut medicus humores sensim mitigat & exhaurit: sic illi & distruere puritatem Religionis, & Impuritatem adstruere, paulatim aggressi sunt. Nam ut Puritanos exscinderent, primo omnium conati sunt Orthodoxos ministros abolere. Si hoc unâ vice & semel fecissent, nimis palpabile negotium Papatus fuisset. Ergo igitur initio suspendebant omnes concionatores, qui cerimonias non constanter exercebant. Paulo post totum Ordinem velut superfluum & in Ecclesia intolerabilem abolent. Hoc facto interdictum Pastoribus, ne concionarentur per septimanam, nisi diebus dominicis. Tum & die Dominicâ pomeridianus concionum habendarum usus abolitus. Et hoc quia nimis durum videbatur ac apertum, ideo prætextus obtentui sumtus, quasi ad Catecheticos profectus promovendos hoc spectaret. Mox omnes quoq; Catecheticas expositiones prohibent, alligantes cunctos ad nuda Catechismi verba. Neque heic stetit labor, sed preces quoque abolitæ, nisi conceptis Liturgiæ verbis fierent. Sic conciones ac preces sensim abolitæ. Jam Papismum & Impuritanismum iisdem gradibus adstruxerunt. Primo urgentes plenam & constantem veterum Cerimoniarum praxin, præter Legum & Canonum intentionem. Hinc introducta novarum superstitionum farrago, quam nec lex nec Canones, sed nova Episcoporum Majestas probabat. Harum observatio ministris & populo injuncta, non simul & semel, sed per gradus ac pausas. Primo mensa Cancellis inclusa, mox in altare erecta. Tum compulsi omnes S. Cœnam recipientes, ante hoc novum altare, in genua procumbere. Inde cœptum extolli altis clamoribus velut sanctum sanctorum, locus & sedes Dei omnipoten-
tis;

tis; atque ideo vultus precantium eò dirigendi erant: idque necessarium existimabatur. Post hæc omnia quid restabat, nisi ut sacrificium reducerent? Ligneum cultum filigineus Deus sequitur. Jam quod doctrinam spectat, initium ab Arminianismo factum. Ita Papismo via parata, & statim obtinuerunt Papalia dogmata, quorum hæc præcipua fuerunt: Papam non esse Antichristum, & Ecclesiam Romanam esse veram visibilem Ecclesiam. Multum exempla valent ad rudiorum imitationem. Hanc regulam quoque Prælati observarunt. Si quis ex conscientia non posset se superstitionibus polluere, statim ei ingestæ voces: *Quid tu hominis es? Dominus Episcopus hoc & illud agit; Archiepiscopus Cantuariensis hoc agit. Equites periscelidis nobilissimi versus altare se incurvant. Regis sacellum ita est adornatum.* Et quoniam Jesuitæ docent, Archihæreticos proscribendos, si commodè fieri queat simul, sin minus sensim: ideo Puritani primo illi qui se priscis Cerimoniis in totum non conformabant, ejecti. Et quoniam remansit magnus numerus Conformistarum, ad eos quoque tollendos inventus liber recreationum diei dominicæ. Hic liber à ministris prælegendus, ut si qui essent, qui Cerimonias, quanquam gementes, ferre possent, sub hoc intolerabilis impietatis onere conciderent. Quod si qui Puritani paulò ampliori conscientiâ essent, & hunc quoque librum concoquerent, admotâ tertia machinâ, novæ Cerimoniæ & adorationes. Additus insuper quartus gradus, preces ac proclamationes contra Scotos. Ultima & peremtoria machina fuit, & velut pulveraria conjuratio contra omnes pios ministros, juramentum pro Hierarchia Prælatorum. Quid heic agerent pii? Si quis Cerimonias evaderet, eum liber ludicrorum occidebat. Post hunc novæ injunctiones, tum proclamationes, denique juramentum erat. Jam omnes dignitates in Ecclesiis & Scholis in eos tantum (pau-

cis exceptis) collatæ, qui Arminianiſmo & Papiſmo infecti. Doctrina gratiæ, Electionis, Iuſtificationis per fidem, perſeverantiæ, plauſtris conviciorum onerata. Quicquid rabies Pontificia evomuit, id omne Prælatica factio abſorpſit. *Hæc ille.*

De origine Independentiſmi.

Quoniam Independentiſmus eſt nunc in Anglia commune receptaculum omnium hæreticorum & ſchiſmaticorum; videamus, quænam ejus origo fuerit. Primum hujus Anarchiæ fundamentum Anabaptiſtæ poſuerunt. Ab his *Morellius* in Gallia, *Brownius* in Anglia, *Grotius* in Batavia hauſit. *Johannes Morellius* in Gallicis Eccleſiis Independentiam congregationum & exemtionem à Synodis, ac populare regimen primus ſparſit. Sed ſchiſmatica inſania ejus mox fuit conculcata. In Synodo Rupellenſi *Beza*, & paulo poſt *Sadeel* moderatores, ita eum errorem confutarunt, ut in Gallia evanuerit. Apud Batavos Arminianiſmi florentis ævo iterum in lucem ab Hugone Grotio & aliis productus fuit, qui autoritatem Synodorum ac Claſſium denegare cœperunt. Cum nec in Gallia, nec Hollandia, radices agere potuiſſet Brownius, eum in Anglia plantavit; ubi hodie ab Independentibus excelſiſſimè propagatur. *Baylius cap.* 10. *contra Errores hujus temporis.*

Epiſcopi cum ſua Tyrannide & corruptionibus occaſionem dederunt Browniſmo & Separatiſmo in Anglia emergendi. Primus author Separatiſmi fuit quidam *Bolton,* qui furiis actus errores illos publicè revocavit; deinde ſeipſum præ deſperatione ſuſpendit. Ei ſucceſſit *Robertus Brown* Northamtonius, Ludimagiſter Southwarkiæ, & poſtea miniſter Iſlingtoni propè Londinum. Hic anno 1580. vexillum Separatiſmi erexit, Eccleſia quadam Middel-

delburgum Selandiæ seductâ. Ibi mox intestinis dissensionibus collisi & fracti sunt. Maxima pars Anabaptistis se associarunt. Ipse Brownius in Angliam reversus, errores suos revocavit, ac Parochiam de manu Episcopi accepit, vir impius & dissolutissimæ vitæ, qui tandem ob æs alienum, cui solvendo non erat, in carcere decrepitus obiit. Tertius fuit *Barrovius*, acerbissimus Ecclesiæ Reformatæ insectator, qui ob enormes calumnias, jussu Elisabethæ Reginæ, instigantibus Prælatis, Londini suspensus est. Quartus author fuit quidam *Johnsonus*, qui separatam Ecclesiam Amstelodami instituit. Ea mox in varias partes distracta est. Quidam Anabaptistæ facti, & à cæteris excommunicati sunt. Deinde Johnsonus in tantas contentiones incidit cum patre ac fratre suo, ut utrumque excommunicaret, & ab utroque excommunicaretur. Mox reliquiæ hujus Ecclesiæ in duas partes secesserunt, quarum una *Ainsworthum*, altera *Johnsonum* sequebatur. Tantæ inter has duas exiguas Ecclesias fuerunt contentiones, ut Amstelodamum iis non sufficeret. Ainsworthus cum suis in Hiberniam, Johnsonus Emdam concessit. Mox Amstelodamum reverso Ainsworthо, *Cannius* successit. Sextus Doctor Separatistarum *Smithius* fuit, qui Leidæ separatam Ecclesiam constituit. Ibi mox socios suos Idololatriæ accusavit, quod inter concionandum Biblia pervolverent, & Psalmos ex libro decantarent. Postea factus est Anabaptista; & cum hæc quoque secta displiceret, seipsum rebaptizavit, ac primus *Sebaptistarum* author fuit. Denique sub finem vitæ Perfectismum amplexus est, & suam perfectam justitiam jactavit.

Post hos omnes languentem ac animam agentem Separatismum restituit *Robinsonus*, Pastor Leidensis, doctissimus ac modestissimus sectariorum, qui ab Amesio & Parkero in viam revocatus, rigidas Separatistarum opiniones

mitigavit, & Semiſeparatiſmum fundavit. Et hic Robinſonus verus author Independentium hodiernorum eſt in nova & veteri Anglia.

Dogmata præcipua Browniſtarum.

1. Eccleſias Anglicanas, quales ſub Epiſcopis, habent pro Antichriſtianis, errantibus, & cum quibus communionem veri Chriſtiani habere non poſſint. Sic & alias Eccleſias Reformatas dicunt eſſe idololatras, regimen earum tyrannicum & Antichriſtianum: Presbyteria & Synodos non meliores Epiſcopatu.

2. Suas Eccleſias ſeparatas ita conſtituunt. Membra tantum faciunt ſanctos: & ſi vel unus profanus ſit in Eccleſia, unus error vel peccatum apparens, ſtatim ſeparant ſe, niſi reus excommunicetur.

3. Formam Eccleſiæ ponunt in expreſſo fœdere, quo membra Eccleſiæ ſe obſtringunt ſolemni juramento ſe ambulaturos in via Euangelii. Vel unicum peccatum alicujus membri, niſi admonitus, ſi perſiſtat, excommunicetur, juſtam ſeparationis cauſam faciunt.

4. Septem perſonæ faciunt ipſis juſtam Eccleſiam, nec plures admittunt, quàm qui commodè poſſunt uno tempore & loco convenire, audire, & frui beneficiis Eccleſiæ.

5. Ad conſtituendam Eccleſiam non requirunt authoritatem Eccleſiaſticam, vel civilem. Rogare Magiſtratum, ut permittat congregari Eccleſiam, ipſis peccatum eſt. Erigere Eccleſiam ope miniſtri, ipſis contradictio eſt. Nam Eccleſia conſtituta demum apud ipſos miniſtrum eligit. Si adſit miniſter, ipſe tantum privatam perſonam ſuſtinet, donec ab Eccleſia eligatur.

6 Sic conſtitutæ Eccleſiæ in materia & forma, antequam habeat ullum miniſtrum vel Presbyteros, adſcribunt omnia privilegia non tantum doctrinæ, ſed etiam ordina-
tionis,

tionis, jurisdictionis ac clavium. Si quis Pastor à Presbyterio nominetur, etiam approbatus ab Ecclesia, eum tamen pro lupo habent, qui audiri non debeat. Pastor ita à populo creatus, ab eodem ordinatur. Ordinationem alii adscribunt omnibus membris Ecclesiæ, etiam feminis & infantibus: alii viris tantum, excluso mulierum & infantum Senatu. Ordinatus pastor servus est non tantum Christi, sed etiam Ecclesiæ; & Ecclesia potestatem habet eum admonendi & reprehendendi: à majori verò parte excommunicari potest. Quodlibet membrum potestatem habet concionandi, publicè admonendi, ac cæteros excommunicandi. Quidam privatis dant potestatem sacramenta administrandi.

7. Matrimonia planè nihil ad Ecclesias pertinere dicunt, & ea vel ad parentes vel ad Magistratum rejiciunt. Divortia committunt ipsis conjugatis.

8. Quamlibet congregationem faciunt Independentem in terra & soli Christo subjectam, nulli verò alii Ecclesiasticæ potestati. Sicut si major pars fieret hæretica ac profana, & excommunicaret pastorem suum ac Presbyteros, nulla Synodus, ne œcumenica quidem, posset facto contradicere. Presbyteria & Synodos non negant à Deo institutas, sed his eas limitant conditionibus. 1. Quod debeant tantum esse occasionales & electivæ, non statæ & ordinariæ. 2. Quod non tantum ministri & Presbyteri, sed quilibet alii sint admittendi. 3. Omnes ita admissos potestatem habere sententias dicendi & decidendi. 4. Nihil numero vel pluralitate sententiarum decidendum. 5. Moderatores vel Prolocutores rejiciunt. 6. Negant Synodis jurisdictionem censurandi etiam vilissimos hæreticos competere.

In his commentis suis adeò sibi placent, ut jactent coronam, sceptrum & regnum Christi in suis Ecclesiis consiste-

re: Ecclesias ita constitutas & gubernatas, esse pares novæ Jerusalem de cœlo descendenti. Omnes Ecclesias Reformatas non sic institutas & rectas, vel non esse Ecclesias; vel Antichristianas, Babylonicas, adulteras; vel saltem corruptas societates, à quibus secedendum sit. Omnia templa structa tempore Papatus, dicunt solo æquanda, campanas frangendas; imò omnem usum campanarum esse illicitum & Papale inventum. Ne cœmiterium quidem habendum, sed omnes in campis sepeliendos. Omnes decimas & stata ministrorum stipendia dicunt esse idololatrica, illicita & contra Euangelium. Hanc esse voluntatem Christi, ut ministris prospiciatur eodem modo, ut sibi & Apostolis factum, per voluntariam contributionem & eleemosynam populi. Et id eò usque urgent, ut etiam ad communionem bonorum delabantur. Ne quidem civili modo nominandos locos vel tempora, quæ gerunt ullum vestigium alicujus Sancti, vel Idoli. Ita rejiciunt nomina *templorum* S. Andreæ, Pauli, Petri; *mensium*, Januarii, Februarii;& *dierum*, Solis, Lunæ, Martis, &c. Hæc omnia ipsis sunt profana & illicita. Imò ne quidem annos à Christo nato numerari volunt, sed sic: *Anno ultimæ sanctorum patientiæ.* Nullam in cultu peragendo circumstantiam fixam admittunt, sive consuetudine, sive lege introducta sit. Non concionandum hoc loco, illo tempore. Pulpita irrident. Conciones ad mensuram horologii irrident. In toga concionari non meliùs ipsis, quàm in alba veste, & cuculla monastica. Omnes statas preces, etiam Orationem Dominicam, faciunt idololatricas & diabolicas; quanquam in hoc Robinsonus eos aliquantulùm correxerit. Cantio psalmorum, si non sint formales Scripturæ, sed Paraphrases, ipsis illicita; multo magis alii hymni, qui non sunt expressa Scriptura. Permittunt decantari psalmos in prosa, non ut actum immediatæ gratiarum actionis (nam tales

tales æquè illis idololatricæ ac ſtatæ preces) ſed ad inſtructionem & conſolationem. Alii qui Smithium ſequuntur, omnes cantiones in Eccleſia ex libro, ſive proſa ſive verſa, idololatriam faciunt; & tamen eos pſalmos decantari permittunt, quos ſpiritus dictat alicui ex tempore, ſine libro. Sed Browniſtæ Amſtelodamenſes nunc mutarunt opinionem ſuam, & omnes decantant Pſalmos mirifica melodia, juxta Ainſworthi aſperam & confragoſam paraphraſin. Concionari ipſis non eſt actus paſtoralis, ſed communis; non tantum miniſtris & presbyteris, ſed etiam cuivis qui dona habet, competens. Verbum *Sacramentum* ipſis traditio eſt, corruptum & non ferendum vocabulum. *Baptiſmum* Eccleſiæ Anglicanæ faciunt vanum & irritum, Sigillum non gratiæ, ſed iræ ac condemnationis; & tamen eum iterari nolunt. Docent *Cœnam Domini* ſingulis Dominicis celebrandam, & omnibus ad menſam capite operto ſedendum. Detegere caput dum recipis Sacramentum, ipſis idololatria eſt. Amſtelodamenſium tamen praxis huic opinioni adverſatur; ubi quilibet, quamdiu edit & bibit, nudo capite aſſidet. *Agapas* cœnæ Domini jungendas volunt. Rejiciunt omnes Catechiſmos, quòd ſtatæ formulæ ſint. *Symbolum Apoſtolicum* rejiciunt & deteſtantur, tanquam malè conſutum centonem. Articulum *de deſcenſu ad inferos* blaſphemiæ reum agunt. Rejiciunt omnem publicam verbi lectionem, cui non conjuncta eſt præſens expoſitio. *Finitâ concione* volunt tres quatuorve prophetari, & omnibus dandam prophetandi libertatem. *Poſt Prophetiam* ſequitur diſputatio, & cuilibet licitum eſt proponere ſcrupulos ſuos, ac objicere contra ea quæ dicta ſunt. Tum diſceptantur res ad diſciplinam pertinentes. Si Magiſtratus ſit membrum Eccleſiæ, etiamſi Rex ſit, eum docent à minima etiam congregatione excommunicari poſſe; nec libertatem habere ad ullum in terra appellandi, ne ad

œcu-

œcumenicum quidem Concilium. *Magistratum* spoliant authoritate leges condendi; solum Deum esse Legislatorem; Leges judiciales Mosis hodieque omnes, non secus ac Judæos, obligare. A Magistratu dicunt morte plectendos omnes adulteros, blasphemos, Sabbathi violatores, & inprimis Idololatras. Per Idololatras intelligunt non tantùm Papistas, sed longè maximam partem omnium Protestantium qui ab ipsis diffident. Nam uti stata oratione, etiam Dominica, ipsis idololatria est. Negant tamen fures suspendendos. Omnes *Academias* dirui volunt, quod deteriores sint Monasteriis. Aristotelem, Platonem, Ciceronem, & alios Ethnicos scriptores comburendos. Rejiciunt omnes gradus Academicos. Nolunt habere Studiosos Theologiæ, Locos communes, Commentaria in Scripturas, Polemicos authores: imò omnes exterminari libros volunt & artes liberales, exceptis Bibliis. Disputationes Theologicas pro ethnicis & illicitis Exercitiis habent.

Ipsi Brownistæ æquivocationibus & dicteriis scelera sua palliant. Quidam *Godofridus Whitaker* ex Ecclesia Johnstoni Amstelodami inventus in lecto cum quadam Judith Holder alterius uxore, ita se excusavit: *Se non fecisse illud voluptatis ergò; sed ut Juditham malè se habentem consolaretur, & eam calefaceret.* Ipse Brown reprehensus ob verbera uxori inflicta, dixit: *Se eam non verberare ut uxorem suam, sed ut maledictam vetulam.* Plura hujus farinæ vide apud Eusebium Paget in Hæresiographia, fol. 59. Et narratur Joh. Foxum, cum malas Brownii artes videret, eum domo suâ expulisse, tanquam incendiarium Ecclesiæ.

De statu Ecclesiæ Anglicæ sub Elisabetha, Jacobo, Carolo.

Sub Elisabetha & Jacobo hic in universum Ecclesiæ Anglicanæ status fuit. *Episcopi & Puritani* erant. Et hi in tria genera

genera distincti, si Nobilissimo Domino Brookio credimus, *Conformistas, Non-conformistas*, & *Separatistas. Conformistæ* erant orthodoxi Theologi, qui contra Arminianos, Socinianos, Pelagianos, Anabaptistas, Papistas pugnabant, & se filios Ecclesiæ Anglicanæ profitebantur. Id est, Cerimonias antiquas, utcunque inviti, tolerabant. Quales magnæ animæ, Whitakeri, Perkinsi, Rainoldi,&c. fuerunt. *Non-conformistæ* se à Cerimoniis quibusdam spernebant, sed non omnes ab iisdem. Erant qui admitterent, quas alii rejiciebant. *Separatistæ* in *rigidos Separatistas* sive *Brownistas*, & *Semiseparatistas* sive *Robinsonianos* distincti; qui postmodum *Independentes* dici cœperunt, & hodieque sic dicuntur. *Anabaptistarum* illo ævo duo genera. *Quidam* hæretici, Liberum Arbitrium,& Communionem bonorum asserentes, Magistratum & Pædobaptismum negantes. Horum in Anglia tum vel pauci, vel nulli. *Alterum genus* eorum, qui solum Pædobaptismum negant, cætera orthodoxi. Et horum in Anglia magnus numerus. Præterea multi ex plebe licentiam prædicandi sibi asserebant, miseris quibusdam rationibus seducti. Et hi jactabant: *Spiritum ubi velit, flare; nec alligatum Academiis. Itaque internam vocationem cum donis ad tantum munus necessariis, accedente alicujus congregationis desiderio, sufficere: Sibi quidem abstinere non licitum, nisi veritatem in injustitia detinere, & talentum suum abscondere velint.*

Sub Rege Carolo longè alia facies & in regno & in Ecclesia cœpit. Causa Laudus fuit, Cantuariensis infelix Archiepiscopus. Tum temporis *Puritani in veteres ac novos* distincti. Nam cum veteres alii essent Conformistæ, alii Non conformistæ; novi ab utrisque in eo discrepabant, quod neutiquam bona conscientia tolerari posse ullas Cerimonias existimarent. Atque hi non tantùm Episcopis, sed & cæteris piis fratribus in eo adversabantur; & ma-

gnam partem *anno* 1634. cum nequiſſimus Laudus ad Cathedram Papalem evectus eſſet, in Belgium ac novam Angliam conceſſerunt.

Origo itaque *Independentium* in Nova Anglia ſic ſe habet. Pars Eccleſiæ Robinſonianæ Leida Plymmoutham Nov-Anglicam migravit. Eodem paulò pòſt Cottonus, ac alii pii Non-conformiſtæ ex Anglia, metu intolerabilis Epiſcoporum tyrannidis profugi venerunt. Et hi ſtatim conſenſerunt in viam Robinſonianam, quæ tum admodum inter exſules illos invaluit. Difficile eſt non incidere in Scillam, cum Charybdin fugis. Epiſcoporum horror & terror infinitus erat. Quò longius quid ab illis diſtabat, eò gratius erat. Placuit igitur Robinſonus; & quanquam Cottonus antehac Separatiſtis adverſaretur, tamen Semiſeparatiſmi author & fautor eſſe cœpit circa *A. C.* 1635. & ea dogmata ſingulari facundiâ & dexteritate interpolare cœpit. Itaque ſicut Robinſonus prima Independentiſmi fundamenta jecit; Sic Cottono complementum & ultima debetur manus. Statim literis in Angliam miſſis novam Eccleſiæ formam deprædicare cœpit; & novum Doctorem amplexus *Thomas Goodwinus*, vir egregiè doctus, admiratione Cottoni plures ſecum in Novam Angliam traxit. Lapſus quoque eſt in alios horrendos errores ille Cottonus. Arminianiſmum imbibit, à quo eum celeberrimi Twiſſi ſcripta ex parte revocarunt. Antinomiſmi & Libertiniſmi particeps factus eſt intimâ familiaritate exſecrabilis feminæ Hutchinſoniæ. De cujus Tragœdiis paucâ in transcurſu dicenda ſunt.

Quas turbas Independentes Antinomi in Nova Anglia excitarint.

Quidam Antinomi in nova Anglia ſeduxerunt quoſdam, & inter eos mulierem quandam *Hutchinſoniam*, quæ callida,

da, ſagax, & contumacis Spiritus, prætextu repetendi ſermones Cottonianos, Boſtoniæ furores illos, hinc in totam regionem, diſperſit. Opiniones præcipuæ hæ erant.

1. Legem nullum uſum habere in adducendis hominibus ad Chriſtum. 2. Hominem eſſe juſtificatum & unitum Chriſto ſine fide, ab omni æternitate. 3. Fidem non eſſe inſtrumentum recipiendi Chriſtum, ſed diſcretionem quod jam receperimus Chriſtum. 4. Hominem tantùm uniri Chriſto per opera Spiritûs, ſine ullo actu ſuo. 5. Hominem non antè actualiter Chriſti eſſe, quàm fiduciam habeat. 6. Hanc fiduciam tantùm eſſe ex teſtimonio Spiritûs. 7. Hoc teſtimonium Spiritûs tantùm eſſe immediatum, ſine nullo verbo. 8. Cui ſemel hoc teſtimonium habet, non ultra dubitat. 9. Dubitare de certitudine, etiamſi fiam latro vel adulter, indicio eſt me nunquam habuiſſe certitudinem vel fiduciam. 10. Sanctificatio non eſt bonum ſignum ſtatus gratiæ. 11. Nulla conſolatio haberi poteſt ex conditionalibus promiſſis. 12. Pauperes ſpiritu *Matth.* 5. 3. tantum illi ſunt, qui vident ſe nullam gratiam habere. 13. Si videam me planè non habere gratiam, ſolatio erit: ſed conſolationem capere ex ſenſu gratiæ, legale eſt. 14. Hypocrita poteſt habere gratiam Adami, quam habuit in ſtatu innocentiæ. 15. Gratia ſanctorum & hypocritarum non differt. 16. Omnes gratiæ in Chriſto ſubjectivè ſunt, & nullæ in nobis; ita ut Chriſtus credat, Chriſtus amet. 17. Chriſtus eſt nova creatura. 18. Deus non amat hominem plus propter ullam ſanctitatem, nec odio eum magis habet propter ullum flagitium. 19. Peccatum filios Dei non debet turbare. 20. Si quis turbetur propter peccata, non eſt regula vitæ. 23. Chriſtianus non tenetur precari, niſi ſpiritus moveat eum. 24. Miniſter qui non habet hoc novum lumen, non poteſt docere alios qui id habent. 25. Tota litera Scripturæ

 eſt

est fedus operum. 26. Nullus Christianus adigendus est ad officia pietatis. 27. Nullus Christianus est exhortandus ad fidem, charitatem, preces, nisi sciamus eum habere spiritum. 28. Homo potest habere omnem gratiam, & tamen carere Christo. 29. Omnis fidelis activitas tantùm est agere peccata.

Hi gravissimi errores omnem Novam Angliam adeò infecerant, ut Respublica & Ecclesia in extremo periculo versarentur. Et fuerunt plures adhuc alii; ut, *Animam cum corpore interire. Omnes sanctos in terra duo corpora habere. Christum non esse unitum nostro carnali corpori, sed nostro novo corpori eâdem unione, qua humanitas ejus unitur divinitati. Christi humanitatem nunc non esse in cœlo, sed corpus ejus esse Ecclesiam.* Hos & plures alios errores Independentismus in Nova Anglia produxit. Nulla ferè familia in tota regione fuit, quæ non infecta esset. *Boston* famosissima Ecclesia adeò fuit corrupta, ut pauci restarent integri. Hypocrisis horum hæreticorum ad miraculum magna fuit. Nemo ipsis humilior, sanctior, magis spiritualis, plenior Christo apparebat. In precibus ardentissimi, in sermone ex Scriptura potentissimi. Omnes ipsorū singulares opiniones erant *pro gratia gratuita, pro glorioso homine Euangelico, ut nudus Christus in solio collocaretur.* Ministrorum quosdam adorabant, ut Cottonum & Wheelwrightum, tanquam solos federis gratuiti præcones; & neminem inde usque ab Apostolorum ævo tantum luminis Euangelici accepisse jactabant. Cæteros ferè omnes Baaliticos & legales sacerdotes, Papisticos Nūcios, Scribas & Pharisæos, inimicos Euangelii, vacuos gratiæ vocarunt. Præfectum suum *Winthropum*, & plerosque Magistratus, vocabant hostes gratiæ, persecutores, Antichristos, Ahabos, Herodes, Pilatos, quos Deus destructurus sit. *Wheelwrightus* eos pro concione hortabatur, ut cum Magistratu agerent, prout talibus hostibus gratiæ conveniret, in memoriam revocans

Mo-

Mosen occidentem Ægyptium.Hæc hæresis tam periculosas seditiones produxit,ut actum deRepublica videretur,& *Winthropus* exarmare sectariorum plerosq; coactus fuit,metu ne tragœdia Monasteriensis repeteretur. *Synodus* quoq; ministrorum convocata est, in qua hi errores Antinomorum confutati : 1. Dicere quod justificemur per fidem,mala locutio est;dicendum,nos justificari per Christum. 2. Justificationem demonstrare per sanctificationem,sapit Papismum. 3. Si sum sanctus, nòn sum gratior Deo; si sum impurus, non deterior. De hoc certus sum,cum qui elegit me,daturum etiam operam ut salver. 4.Si Christus vult permittere ut peccem, ipsius periculo id fiat. 5. Magnas tumultus est circa gratiam & emendationem cordis. Sed da mihi Christum;non quæro dona gratiæ,sed Christum:non quæro promissiones, sed Christum : non quæro sanctificationem, sed Christum.Ne mihi narra fabulam de mediatione & officio; narra mihi de Christo. 6. Viva fides, quæ habet vivos fructus,potest oriri à viva lege.7.Possum scire me esse Christi, non quia crucifigo cupiditates carnis,sed quia non crucifigo eas; verùm credo Christo,qui crucifigit cupiditates pro me. 8. Petrus magis inclinavit ad fedus operum, quàm Paulus. Pauli doctrina magis est prò gratia gratuita,quàm Petri. 9. Si Christus est mea sanictficatio ; quid opus est ut justificationem meam coner per aliud demonstrare?

Hæ & aliæ opiniones nihil aliud minitabantur Ecclesiæ quàm præsentaneam ruinam, & ipsi schismatici nil nisi sanguinem ac tormenta spirabant. Donec Deus judicia sua evidenter exercuit: Primo enim *Hutchinsonia*, summa Novæ Religionis sacerdos & Dux hæreticorum, uno tempore xxx monstrosos partus enixa est,quot ferè monstrosas opiniones fovebat. Quidam majores, alii minores erant, nulli humanam formam retulerunt. Alia femina Hutchinsoniæ socia, nomine *Dier*, partum femineum

monſtroſiſſimum edidit. Carebat capite; facies in pectore erat, aures ex humeris, oculi & os latè prominebant, naſus ſurſum ſpectabat, pectus ac tergum plenum acutis ſtimulis. Umbilicus, venter & natura in dorſo. Pro digitis pedum tres ungues avium. In dorſo ſupra ventrem duo magna foramina hiabant, & ex quovis maſſa carnea prominebat. Supra oculos, loco frontis, quatuor acuta & dura cornua. Nihil his moti hæretici, ſed cauſam monſtrorum in Eccleſiam, quam pro hoſtibus ſuis habebant, conjecerunt. Et hæc, *inquiebant*, veſtri gratiâ fiunt, Legaliſtæ; ideo Dei manus ingraveſcit ſupra nos, ut in legalibus viis veſtris excæcemini; & tandem in infernum præcipites, pereatis. Cumque veritati, etiam de cœlo convicti, cedere nollent, Magiſtratus contra eos ſententiam dixit. Quidam excommunicati, alii proſcripti. Miniſter ſeditioſus *Wheelwright* cum Hutchinſonia primò in Inſulam quandam ad Batavos ſe contulit. Ubi mox in alias ſectas diviſi ſunt, & Hutchinſonia cum familia ſua in aliam Inſulam, cui nomen *Hellgate*, ſe tranſtulit, ubi ab Indis omnes cæſi & combuſti ſunt.

Hæc ex libro Wellii *ea de hiſtoria, & ex* Pageto *ac* Baylio; *qui inſuper oſtendit, quantum Cottonus huic hæreſis innexus & implicatus fuerit.*

De Hæreſium, ſectarum, & ſchiſmatum, horribili incremento, inde uſque ab anno 1640; *durante magno Parlamento.*

HActenus vidimus Eccleſiam Anglicanam, qualis ſub Epiſcopis; quomodo in Puritanos, Browniſtas, Independentes variis in locis, ſed maximè extra Angliam, ſciſſa fuerit. Reſtat ſtatus ejus poſt Epiſcopos. Et heic cognoſcere operæ pretium erit, quis turbo illam per un-

decim

decim ſecula firmatam Prælatorum Hierarchiam ſubverterit?

Certum eſt, Parlamenta Angliæ ſemper Epiſcopis, & Epiſcopos Parlamentis infeſtos fuiſſe. Hinc ſicut Illi de Parlamentis, ita hi de Epiſcopis enervandis cogitarunt. Et Prælati quidem ſub Rege Carolo, haud ſatis contra aulicas adulationes & criminationes obfirmato, Parlamentorum longam pauſam viderunt, ab anno uſque 1628 ad 1639. Quo ſpatio Hierarchia excelſiſſimè floruit; nec fieri poterat ut altiùs ſupra Regem, regna, populum, conſcientias aſſurgeret. Quod cùm viderent pii, ſpem bonam conceperunt brevi de throno ſuperbiæ ac tyrannidis caſuros Prælatos. Idque ſic factum eſt.

Fatalis quædam intemperies *Laudum* in Scotos concitavit, ut iis Cerimonias & Liturgiam imponere conaretur. Hæc prima ac inevitabilis fundi Prælatici calamitas fuit. Quicquid hodie Epiſcopi patiuntur, id omne ex deſperato illo auſu fit. Si omiſiſſent Scotos, adhuc fortè in Britannia dominarentur. Quod exemplo Regibus & aliis ſit, eſſe periculoſum aliquid innovare in ſtatu publico. Quis ex tanta ſcintilla tantum incendium putaſſet oriturum? Et an inepta illa Liturgia & caſcæ cerimoniæ omitti ſalvâ Majeſtate Epiſcopali non poterant? Luunt igitur illi exſilio ſuo, contemtu ac ruinâ, incœptum illud. Nam primo Scoti armis extorſerunt Regi abolitionem totius Hierarchiæ. Eorum exemplo exciti Angli, paria flagitare & cogitare cœperunt. Initium milites rudes fecerunt. Nam cum exercitus contra Scotos cogeretur pro Epiſcopis, mirâ Providentiâ Dei, miles Reformationis Anglicanæ initium audax ac tumultuarium fecit. Exagitabant illi Epiſcopos non ſecus, ac olim Germani, Româ ſub Carolo V captâ, Pontificem Romanum. Decani, Præbendarii, Cantores, Canonici, & tota Clericorum albata ſeries, verberibus &

aliis injuriis, ridente, gaudente, & plaudente Angliâ, mulctati. Confracta altaria, cruces, picturæ, imagines. Liturgia discerpta. Inter has turbas Parlamentum incipit, quod Episcopi non mitiùs horrebant quàm stygiam paludem. Sed ejus quidem manus evaserunt: Populus tamen jam erectus spe libertatis, & Scotorum armis animisque tumens, apertè contra tyrannidem illam res novas moliri cœpit. Impetu in Abbatiam Westmonasteriensem facto, cuncta confregerunt. Archiepiscopus Lambethi ferè oppressus. Hinc libelli sparsi, conventicula habita, juventus Londinensis commota: denique omnia Episcoporum ruinam spirabant, qui ultra humanum morem se exosos impudenti & horribili crudelitate reddiderant, maximè *Laudus Cantuariensis*, *& Wrennus Eliensis.* Sic ad alterum Parlamentum accessio facta; quod anno 1640, 3 *Novembris* cœpit, ac hodieque durat, & semper fortè, quamdiu Anglia, durabit. Statim graves contra Episcopos querelæ ab universo regno motæ, & Scoti accusatione Majestatis Laudo intentata, eum in carcerem detrudi curârunt. Hinc continuò abrogata tyrannidis Episcopalis tribunalia, Curia supremæ commissionis, Camera Stellata, Cerimoniæ superstitiosæ; sicut supra dictum ac ostensum fuit. Post hæc omnia restabant Episcopi in Parlamento & Ecclesia, nec spes erat eos radicitus exstirpandi. Ac fatentur omnes, qui Communi inde usque ab initio interfuerunt, nunquam hoc sibi consilium fuisse, ut Episcopi omnino tollerentur. Id quidem fatentur visum & necessarium & factu possibile, limitationem arbitrariæ ipsorum & tyrannicæ potestatis; ne nimirum pios ac fideles ministros, propter albam vestem, altare, cruces, picturas, Papismum, ejicere ac proscribere possent, ne conscientias dominatrix ipsorum libido conculcaret. Plura nec intendebant, nec sperare poterant. Et tamen multi prudentes viri in ea opinione

erant,

erant, ipsos Episcopos ruinam sibi ac exitium, fastu, superbiâ, dominio, adulatione aulicâ, acceleraturos. Idque etiam hac occasione factum est, ut author *Historiæ Britannicæ* nondum editæ testatur, cujus verba huc apponere visum.

Cum exposuisset, quomodo *Lunsfordius*, *Hida* & quidam ex famulitio Archiepiscopi Eboracensis tyrones ac cives Londinenses indignis modis tractassent, ita pergit: Alterâ die tyrones, ac civium multi, cum sibi melius contra vim prospexissent, Westmonasterium revertuntur, & denuo excepti injuriis ac tumultu circa Abbatiam exorto, in Episcopos concitantur. Qui terrestre iter suspectantes, scaphis ad Parlamentum secundo Tamesi vehebantur. Sed cum exscensionem facere vellent, lapidum nimbo excepti, & donum, multo aliorum risu trepidantes remigare coacti sunt. Quo prætextu ad inconsultam & temerariam Protestationem abutentes, ruinam sibi paulò pòst accelerarunt. Nam cum nihil magis metuerent, quàm ne à Communi ob tyrannidem subverterentur, Parlamentum omnino inhibere conati sunt & dissolvere. Igitur ut se maturè impendenti tempestati subducerent, mittunt ad Regem & Proceres libellum supplicem, unà cum Protestatione, de jure suo ac integritate præfati: *Quàm alieno ab omni actione & opinione Papismum redolente animo sint. Factioni quoque maleficorum, si quæ sit, neutiquam se favere. Jussu Regis ad socianda pro regni salute Consilia venisse. Aliquoties in via publica violatos etiam vitæ periculo. Post irritas ad Parlamentum preces sibi reservato jure, sede, votis suis in aliud tempus, tuto imposterum comparere non licere. Justas hujus absentiæ & necessarias causas. Quicquid interea statutum & determinatum fuerit, contra id tanquam invalidum & nullius momenti se jam nunc coram Rege & Proceribus protestari.* Subscripta erant nomina duodecim Episcoporum *Johannis Eboracens. Thomæ*

Durchm. Rob. Cov. Lich. Joh. Norwich. Joh. Asaphen. Guilh. Bâ, & Wells. Geor. Heref. Rob. Oxon. Ma. Ely. Godfr. Glouc. Johan. Peterbourus. Mor. Landaff. Hanc Proteſtationem Rex ad Magnates, hi ad Commune, tanquam rem maximi momenti & totum ſpectantem Parlamentum, miſerunt. Eâque acceptâ & lectâ, viſum fuit Communi, duodecim illos Epiſcopos Majeſtatis accuſare, ut qui ſtuduerint Leges regni & Parlamentorum fundamentales ſubvertere. Cum hoc decreto ad Proceres Glynius mittitur, & Epiſcopi ſerâ nocte in curiam tracti, atque inde per carceres diſtributi ſunt. Rex poſtea conjugem Grenovico Doveram ducens, Cantuariæ in ipſa S. Auguſtini Abbatia Parlamenti decretum contra Epiſcopos, confirmavit. Quod nonnulli in omen riuturi Epiſcopatûs & Hierarchiæ traxerunt. Quippe *ſicut ab illo Auguſtino omnis Angliæ Hierarchia originem trahat; ita nunc in ejus Abbatia fortuito Regis tranſitu, ſententiam contra Epiſcopos latam eſſe.* Hæc ille.

Cætera in poſterioribus libris perſequitur, quomodo Epiſcopatus cum annexis, planè & radicitus fuerit à Parlamento exciſus; & in ejus locum de nova Regiminis Eccleſiaſtici formâ cogitatum.

Si ulla in re Parlamentum graviter peccavit; id in eo factum eſt, quod ſublato Epiſcopatu, nullum è veſtigio regimen Eccleſiæ, ſaltem temporarium & vicarium, conſtituit. Nam certè hæc prima ac præcipua omnium hæreſium, ſchiſmatum ac ſectarum cauſa fuit, quod cuilibet integrum eſſet docere, diſcere, ſectari, quæcunque recta putaret. Scriptura non aliam confuſionis & licentiæ cauſam proponit, quàm hanc: Non erat Rex in Iſraël; & quilibet fecit quod rectum erat in oculis ſuis.

Paget in Epiſtola dedicatoria Hæreſiographiæ; Ecce, *inquit*, amotâ Hierarchiâ, ſubitò ingens hæreticorum numerus, ut locuſtæ, Eccleſias Anglicanas obruerunt, Familiſtæ, Anabaptiſtæ,

baptiſtæ, Donatiſtæ, Browniſtæ, Antinomi, Independentes, Arminiani, Sabbatarii, Anti-Sabbatarii, Traskitæ, Millenarii, Hetheringtonii, Sociniani, Ariani, Atheiſtæ. *De Atheiſtis ſic inquit*: Magnus eorum numerus eſt. Quidam coram Judice Provinciali incarnationem J. C. irridebat. Pater ejus Toloſæ in Gallia combuſtus fuit, ſed apud nos filius impunitus evaſit. Concionantur, excudunt & exercent hæreticas opiniones ſuas palàm. Inde uſque à ſublato regimine Eccleſiæ quilibet fit Paſtor, Sutores, veteramentarii, ſartores, & alii. Hi ſcripturas exponunt, & ſe in pulpita intrudunt, mirabilia evomunt, quæ in factiones, ſeditiones & blaſphemias terminantur. Quantum mali ab his ſectariis illatum ſit Eccleſiis Londini, nos Paſtores magno cum dolore experimur. Congregationes noſtræ ſuos Paſtores deſerunt: populus noſter fit ut tribus Gad, currens poſt ſeductores inſanum in modum. Infantes non baptizantur; cœnam nemo capit: ipſa Domini Oratio abominabilis eſt.

Joſephus Hall, quondam Epiſcopus Norwicenſis, in nupero *Irenico* ſuo patheticè deplorat miſerrimum & diſtractiſſimum ſtatum Eccleſiæ Anglicanæ. *Sect.* 23. *inquit*: Hoc ævo animæ Chriſtiani populi ſeducuntur non tantùm à Papiſtis, Anabaptiſtis, Antinomis, Pelagianis, ſed & per infernalem Socinianorum hæreſin, Antitrinitarios, Nearianos, ut ultima Chriſtianitatis in Anglia deſtructio metuenda ſit.

Authores Annotationum in Biblia Anglica ad cap. x. Geneſeos v. 25. Quàm refert nomen Pelegi infelicia tempora noſtra? Quot cauſas habemus liberos qui naſcuntur, Pelegos vocandi? Quàm diviſi ſumus non in linguas tantùm, ut Babylone factum; ſed capita, corda, manus? Quantæ diviſiones non tantùm Rubenis, ut Jud. 5. 15. ſed omnium tribuum Iſraëlis noſtri? Et ô ſi tantum diviſi eſſemus! Jam

verò ſubdiviſi ſumus in complures factiones Reipublicæ, in varia ſchiſmata Eccleſiæ. Quam nos Indices noſtros implere poſſemus nomine Pelegi, conſideratâ lamentabili diviſione quæ eſt inter nos. *Et ibidem pluribus deplorant miſerandum regni & Eccleſiæ ſtatum.*

Thomas Edoardus in Gangræna: Nulla hæreſis, blaſphemia, confuſio eſt, quæ non vel inveniatur in Anglia, vel oriatur. Reformatio ab uno extremo ad aliud collapſa eſt. A Scilla in Charybdin ventum. Pro Papalibus innovationibus, ſuperſtitionibus & tyrannide Prælatorum, damnandæ hæreſes, horribiles blaſphemiæ, Libertiniſmus, & tremenda Anarchia eſt. Non ablata mala, ſed aucta. Diabolo pejor Spiritus ſucceſſit. Cœpta Reformatio in Deformationem exit. Jam & ipſam abnegant Scripturam, & tam enormis omnium Religionum libertas propugnatur, ut etiam blaſphemiæ ac Atheiſmus includantur. Et hoc publicis ſcriptis fit, in conſpectu Parlamenti. Imagines Trinitatis, Chriſti, Mariæ, Apoſtolorum deletæ ſunt; & jam ipſa Trinitas, Chriſtus, Maria, Apoſtoli vilipenduntur, denegantur, & ſpurcis calumniis fœdantur. Crux & ingeniculatio ex Sacramento ſublatæ; & jam ipſa Sacramenta negantur. Feſta abrogata; & jam hæretici Diem Domini irrident ac ſpernunt. Hierarchia Epiſcopalis ſublata; jam planè nullum regimen volunt. Tempore Epiſcoporum Pſalmi & preces, niſi ex libro, abrogabantur; nunc in eundem cenſum veniunt decantatio pſalmorum, preces ac omne ſacrum miniſterium. Cerimoniæ Papales ſub Epiſcopis, ut ingeniculare ad altare, nunc inunctio per oleum eſt. Tunc erat *Epiſcopatio* infantum; nunc manus imponuntur viris ac feminis. Intolerabilis viſa in Epiſcopis quarti præcepti abrogatio. Jàm Antinomis permittitur decem præcepta tollere: totam Scripturam Quærentibus. Parlamentum tolerat horrendos ſectarios in ipſa urbe;

urbe; & permittit ut libros publicent. Quædam publicè contra tam abominabilem licentiam decreta, neglectim curantur. Ingens numerus opificum concionatorum, & rudissimorum nebulonum. Etiam feminæ & pueri concionantur. Sectarii in una Parœcia Londinensi undecim congregationes habent. Sicut olim Regis Proclamationes contra Jesuitas & Papistas tantum in speciem propositæ fuerunt, crescente interim numero; & si quis exsequi eas vellet, pro gratia odium reportavit: ita nunquam major licentia fuit, quàm postquam interdictum rudibus concionari. Nunquam effrenatior nequitia contra regimen Presbyterianum sanctissimum, quàm postquam illud decretum. Nunquam plures horrendi libri publicati, quàm cùm id interdictum. Si quis conqueratur apud Parlamentum, quantum illi Schismatici favorem inveniunt? quam cæteri contemnuntur? Sicut olim gradus ad favorem in aula fuit Puritanos vexare: ita qui orthodoxis Presbyteris negotium facessit, τὰ πάντα est. Inde usq; à primo hujus Parlamenti anno creverunt; sed hoc 45. adeò in immensum, ut si eâ proportione pergant, non sit opus Papistas metuere, qui Religionem destruant. Ipsi facient. Quid tot victoriæ, Declarationes, Protestationes effecerunt, nisi plus quam Diabolicam confusionem? Mirantur Scoti. Exteri mirantur, & dicunt, Cur non Rex possit tolerare unam falsam Religionem Papisticam, cùm Parlamentum omnes toleret? Nulla hujus tolerationis causa Politica est. Schismatici vires suas jactant, & victorias, sed ipsi minima pars in iis; & dum illi foventur, interea Civitas Londinensis, Scoti, Protestantes exteri languent. Solemne fedus de exstirpandis schismaticis pedibus conculcatur: cum exercitus, civitas Londinensis & omnes Provinciæ sub Parlamento sint lerna Schismatum. A condito orbe non fuerunt tot monstrosæ opiniones, quot nunc in Anglia!

Omnes autem Schiſmatici qui Angliam infeſtant, uno & communi Independentium nomine comprehenduntur. *Primo:* quia omnes ſe profitentur tales, etiam viliſſimi; ut qui Scripturas & Divinitatem J.C. negant, illi ab Eccleſia Anglicana & communione ejus ſe ſeparant cum Independentibus. *Deinde:* quia Independentes ſe ipſis perpetuò adjungunt contra Presbyterianos. *Tertio*: quia Independentes omnes hos, Anabaptiſtas & Quærentes, habent pro ſanctis & veris Chriſtianis. *Vide Saltmarſh Smok in Tempel.*

Cæterùm, antequam ad præcipuas ſectas deſcendamus, communis omnium natura exponenda eſt.

Joh. Baſtwik in ſecunda parte libri: Independency no Gods ordinance: Quamprimùm Parlamentum hoc Reformationem ſuſcepit, multò acriùs partium odia & nomina exarſerunt. Independentes ex Nova Anglia & Belgio reduces, populum invenerunt propter recentem Epiſcoporum tyrannidem, magis ſuæ opinioni addictum. Unde magno ſectatorum incremento aucti ſunt, præſertim cum dicerent Presbyteriale regimen reipſa, mutato tantum nomine, & pompa, Epiſcopalem poteſtatem ac tyrannidem ſibi in Eccleſias arrogare. Ex hoc ſecutum grave animorum diſſidium. Independentes odium Presbyterianis, Presbyteriani Independentibus conciliârunt, ut quiſque contentioſior & ferocior propter inſuetam libertatem eſſet. Hoc malum brevi poſt in majus evaſit. Quippe ſectarii hactenus occulti., & per familias ſuas ac contubernia diſperſi, ſi non authoribus, ſaltem ut fertur adjutoribus Jeſuitis, occaſionem tam commodam in hoc velut interregno nacti, palàm & verbo Independentibus favere, quod ſub illa Eccleſiarum prætenſa Independentia ſibi januam ad ſerendum horrendas blaſphemias aperiri viderent. Itaque omnes uno Independentium nomine cenſeri volebant, quo ſub illo in vulgus grato titulo venena ſua cò occultiùs diffunderent.

derent. Clam interea meram confusionem, hæreses absurdissi nas, inaudita commenta ac ægrotantis cerebri commenta ferebant. Homines ineptissimi pulpita invadebant, ac ministerio se ingerebant, nec eruditione nec sanâ doctrinâ instructi. Utq; scopum suum eò faciliùs obtinerent, pro conscientiarum absolutâ & independente in rebus ad fidem spectantibus libertate, tanquam pro aris ac focis pugnarunt. Malum diutinâ medicinæ carentiâ eò evasit, ut extrema omnes metuerent. Quippe illi fucati ac simulati Independentes, factionem potentissimam excitarunt, & haud obscurè minabantur, se pro illa sua credendi quodlibet libertate, vel ferro certaturos; Siquidem aliter eam obtinere nequeant. Videmus igitur Independentes, sive Novos Puritanos, his proximis annis in duo hominum genera abiisse. Quorum alii in cæteris orthodoxi sunt, ac in doctrina Presbyterianis consentientes: sola de regimine disceptatio discrimen facit. Et hi, ne propter commune cum cæteris nomen eorundem suspecti criminum essent, non Independentes sed *Congregationales* inposterum appellari voluerunt. Alterum genus est colluges pessimorum hæreticorum, Anabaptistarum, Familiaristarum, Antinomorum, Socinianorum, Libertinorum, & mille aliorum nominum. Hi novum nescio quod lumen sibi denuo illuxisse fingunt, vanissimi homines, ac se illum sanctum Dei populum, illos Jesu Christi & ejus regni contra omnem Episcoporum & Presbyterianorum tyrannidem jactant propugnatores. In fide sua adeò instabiles ac incerti, ut quod hodie credunt, cras majore luce aucti, se repudiaturos profiteantur. Cætera opum amatores; quippe qui profitentur sanctos rerum terrenarum veros possessores ac Dominos esse. Unde in vestitu splendidi; nec illam Puritanorum priscam sectantur simplicitatem. Ditissimas familias, maximè generosas feminas, in societatem suam

tra-

trahunt. Erat miserrima res, videre hanc Ecclesiarum distractionem. Quicunque ab illis in hoc Independentiæ idolo dissentiunt, eos velut canum ac porcorum colluviem suâ communione ac Sacramentis; infantes ipsorum baptismo excludunt, tanto in Presbyterianos odio, ut & lectione librorum ab ipsis scriptorum, & auditione concionum talium suis interdicant. Initio Parlamenti causam acerrimè defendebant. Postea propter exclusos à verbi ministerio, qui nec doctrinâ nec eruditione instructi erant, & Presbyterialium favore ei infensissimi, Scotos nullis non proscindebant calumniis, criminando facta eorum, tanquam omnia ad proprium commodum referrent. Quos & suspectos reddere Anglis, ut animorum divisio sequeretur, modis omnibus conabantur. Dolebant Prynnio cum auribus non ipsum caput præcisum. Bastwicus ab iis miserrimè exagitatus. Et suspicio haud vana erat in eum finem moderationis ac tolerationis omnium Religionum authores esse, ut virium accessione eo prætextu aucti, sectam suam stabilirent. Scripta ab iis in Parlamentum, Magistratus, Synodum virulentissima sparsa. Omnis apud eos erroris contradictio ac oppositio, persecutionis nomine venit. Jactant nec Euangelium toti mundo prædicari, nec incrementum fidei, nec pacem stabilem sperari posse, quamdiu non generalis credendi libertas indulgeatur. Calumniæ in Presbyteriales horrendæ; Hostes Jesu Christi, persecutores fidelium, filios Diaboli vocabant. Et potiùs quàm ut eorum Tyrannidi (sic loquebantur) succumbant, dira omnia minitabantur; & se vel mortem ipsorum regimini prælaturos: nec arma ponere velle, nisi illâ conscientiarum Libertate, pro qua hactenus pugnarint, impetratâ. Episcoporum quidem Hierarchiam multis modis Presbyterio anteferebant; & se vel cum Regiis vires juncturos ad ejus restitutionem, quàm ut Presbyteria admittant.

Plus

Plus quam quadraginta inauditæ ſectæ ex hoc Indepentium Trojano Equo proſilierunt. Quidam omnem Veteris & Novi Teſtamenti Scripturam, velût rem nihili, rejiciunt. Alii ſe *Exſpectantes* vocant, ullam in orbe terrarum Eccleſiam exſtare negantes. Alii *Inquiſitores* ſunt, Eccleſiam in deſerto latentem quærentes. Alii tam monſtroſas opiniones habent, ut ne commemorari ſine horrore queant. Et ab his ſectariis præcipuè Leceſtria, Darbia, Cheſterfielda ſe immunes magnâ prudentia & pietate conſervarunt.

Hanc Religionum novarum conflugem aliter Regii, aliter Parlamentarii interpretabantur. Regii exinde certiſſimam ſpem triumfi conceperunt; & ad factiones alendas dicuntur argento clàm ſubmiſſo Independentes animâſſe. Contra Parlamentarii factionem hanc omnium in Eccleſia & regno periculoſiſſimam fore metuebant. Quippe ſingulas Eccleſias pro quarum privilegiis tantoperè zelum ſuum jactent, ſingulos velut Papas habituros. Itaque authores harum ſectarum ſub miniſtrorum & ſervorum titulo dominium affectare, cum populum, tantâ authoritate præditi, prout velint regere & flectere queant. Qui fere affectu potiùs quàm judicio Paſtorem ſequatur, ſi is artes tractandi rudem populum egregiè calleat. Quod ſi rerum ſumma potiantur, haud minorem Puritanis perſecutionem imminere quàm ab Epiſcopis. Et talem eos conſpirationem animo alere, quod in exercitum, caſtella, munitiones, provincias paſſim ſe ingerant, & quicquid cum ſucceſſu geritur ſibi adſcribant. *Hæc Baſtwic.*

Notandum, quod ſectarii in illo libertatis conſcientiarum argumento admodum exſultarint, perſecutionem, carceres, cædes, tyrannidem, velut alter iis Nero & Diocletianus immineret, ineptè exaggerantes. Et ſuorum meritorum immodici præcones quomodo pro libertate

H regni

regni & conſcientiarum arma cepiſſent, continuò ingeminabant. Nam per quos Deus regnum hactenus liberarit, niſi per eos quibus nunc perſecutionem intentent? qui in prœliis animoſiores? qui ſæpius in Septentrione ac alibi viatores exſtiterint? Nimirum iis nunc, qui toties hoſtem fugarint, fugiendum fore. Verba hactenus data eſſe: promiſſam ſingulis Eccleſiis libertatem omnino nunc negari. Nihil juvare ſanguinem chariſſimorum effuſum. Non ſe abnuere mortem millies oppetere, dummodo fratribus ſuis hanc libertatem conſcientiarum acquirant. Crebrò hæ voces auditæ: *Libertatem conſcientiæ negatis? Quis verò fratribus noſtris vitam, quis ſanguinem nobis rependet?* Neque aliud hi Pſeudo-Independentes, ſub fucato fratrum nomine; præter animorum diſtractionem quærebant. Unde multoties ſparſum, Cromwellum & alios militiâ abituros, niſi tolerationem Independentiæ impetrarent. Quo nihil minus verum erat. Nam viri illi non tales turbas alebant; ſed pugnare pro patria parati, victoriâ impetratâ, ſiquidem aliud quidquam admittere poſſint, ſtatuatur; aliò terrarum ſe in pace ituros pollicebantur. Frequentiſſimè in congregationalis Eccleſiæ laudes evecti, eam ſolam extollere; cæteras omnes erroris & imperfectionis condemnare. Exſpectare ſe indies majorem lucem & ad præciſitatem adſpirare: ac ſperare tandem omnes Eccleſias ad congregationalem viam, quæ ſola primitiva ſit, velut ad centrum immobile, venturas. Presbyterialem tantùm viam ad eam perfectionem & gradum eſſe. In ſumma, Libertatis ſuæ jacturam ſe neutiquam laturos, quamdiu vita ſuperſit, jactabant. *Hæc ex Parœneſi pro Libertate Chriſtianâ ad Parlamentum & ſynodum, anno* 1644 *edita.*

De quatuor magnis ſectis Eccleſiam Anglicanam turbantibus.

Omnes illæ ſectæ & ſchiſmata, quæ exteris videntur numero carere, ad quatuor præcipuas revocari poſſunt, & debent: *Quærentes ſive Exſpectantes, Antinomios, Anabaptiſtas, Congregationales.* Quanquam enim multa inter ſe communia habeant; & omnes quoque Congregationales ſive Independentes dici velint; tamen in præcipuis quibuſdam capitibus manifeſtè differunt ac diſtinguuntur.

Quærentes, ſive Exſpectantes.

Sunt, qui hos in duo genera diſpeſcunt, & alios ſtatuunt *Quærentes*, alios *Exſpectantes*. Summa diſcriminis in eo conſtituitur, quòd illi credant Eccleſiam alicubi eſſe, ſed latere, ideóque inquirendam; unde & Quærentes dicti; alteri autem planè ejus præſentem exſiſtentiam negent, & in futurum exſpectent miraculoſam cœtus Chriſtiani per Apoſtolos reſtitutionem. Sed quoniam utrique in eo conſentiunt; nullam eſſe viſibilem Eccleſiam, ideo noluimus eſſe curioſi in multiplicandis ſchiſmatis. Angli *Scekers* vocant & *Waiters*; ac propriè Scepticorum propago ſunt. Quis primus infamis hujus ſectæ, & quæ parem ab orbe condito non habuit, author fuerit, non mihi innotuit. Orta videtur in Nova Anglia; & Hutchinſoniam ſi non matrem, ſaltem nutricem habere ac alumnam. Inde in Veterem Angliam traducta eſt, & quidam *Rogerus Guilhelmi*, ex Nova Anglia proſcriptus, eam Londini propagavit. Præcipuum caput erroris eſt: Nullam eſſe Eccleſiam, nullum miniſterium, nulla Sacramenta, vel diſciplinam; propterea, quia nullus ſit Apoſtolus. Itaque hi tamdiu quæſiverunt Eccleſiam, donec eam planè amitterent. Exſpectant Apoſtolum *Johannem*; quem adhuc vivere credunt,

& brevi compariturum, ut Ecclesias restituat. Alii dicunt, cum jam in Suffolcia conspectum. Juxta alios verò in Transsylvania adhuc hæret; & eò destinarunt literas, quibus ipsum hortantur & obtestantur, ut citò veniat in Angliam. Ideo moris apud eos est, quando peregrinum aliquem vident, inquirendi num is fortasse Apostolus Johannes sit.

Antinomi.

Antinomorum primus in Anglia fundator fuit quidam *Johannes Eatonus*, qui librum publicavit de gratuita Justificatione sive liberâ, per solum Christum; in quo præcipuè insistit huic errori: Deum nec velle nec posse videre ullum peccatum in justificatis. Hic error non cum authore exstinctus est, sed in hac fatali confusione caput extulit, ac in præcipuam sectam excrevit. Nam cum tradat tam expeditam & facilem in cœlos viam, ingens multitudo simplicium hominum eam amplexata est, quæ doctrinam hanc insanum in morem sectatur. Omnia templa plena. Fores & fenestræ præ multitudine obstruuntur. Neque mirum. Doctrina enim hæc titulo liberæ justificationis pulvinar substernit omnibus peccatis, quæ deplorare aut cavere justificatis apud Antinomos grande nefas habetur.

Anabaptistæ.

Anabaptistæ in Anglia Tirones adhuc sunt, necdum ad eos errores delapsi, quos apud transmarinos invenias. Tota ferè controversia, quam cum orthodoxis habent, in loco de Baptismate consistit, & vocatione ministrorum. Nam formam Ecclesiæ in immersione constituunt, & eos tantùm membra veræ Ecclesiæ esse dicunt, qui post confessionem, in flumine quodam, toti submerguntur, & quasi aquis sepeliuntur. Ediderunt autem *Confessio-*

feſſionem fidei ſuæ, quæ nomine ſeptem Eccleſiarum Anabaptiſtarum Londinenſium anno 1644 publicata primùm, & hoc anno 46 recuſa fuit. Conſtat in univerſum LII articulis, quorum pleriquc ſunt referti ambiguitatibus & ſophiſticis reſervationibus. Hæreſes ſuas incruſtant ſubdolâ phraſcologiâ. Bonus ille Senex, *Euſebius Pagit*, quoſdam articulos obiter annotavit. Ut *articulo* 38 dicunt: Stipendia miniſtrorum debere eſſe libera. Senſus eſt: Stipendia miniſtrorum debere eſſe non ſtata, ſed voluntariam contributionem. *Articulo* 39 dicunt: Baptizandos eos tantùm, qui fidem profiteantur & diſcipuli ſint. Senſus eſt: Infantes non eſſe baptizandos. 40, Immerſionem faciunt abſolutè neceſſariam. 41, Sacramenta diſpenſari volunt à concionatore diſcipulo. 42, Quibus Deus dona dedit, illi concionari poſſunt, ac debent.

Itaque ſi urgeas eos: *an Infantes ſint baptizandi*, ſtatim velut anguillæ elabuntur, ac dicunt; ſe in confeſſione ſuâ Pædobaptiſmum non rejeciſſe. Et ſic in cæteris ita mentem ſuam explicarunt, ut tamen controverſias callidè prætereant. Hæc igitur confeſſio exemplar eſt Sophiſtices, & oſtendit eos multa monſtra alere, quæ profiteri nondum auſint. Hanc confeſſionem ſuam Parlamento exhibuerunt, menſe Februario; & palàm profeſſi ſunt, pro illa fide ſe morituros, ſi opus ſit.

Independentes, ſive Congregationales.

Ex Nova Anglia Independentiſmus in Hollandiam transvolavit, & prima Eccleſia Independens Roterodami fuit excitata à quodam *Hugone Petro*, famoſiſſimo belli Anglicani præcone. Mox Norwicho advenerunt Wardus & Bridgius, veteres Conformiſtæ, ſed novarum Wrennii injunctionum intolerabiles. Iis mox ſucceſſit Sidracus

Simſon. Statim Spiritus diſſenſionis flagrare inter hos tres Independentes cœpit. Simſon in controverſiam lapſus cum Bridgio, quod nollet concedere libertatem prophetandi, ſeparavit ſe, & Novam Eccleſiam erexit. Hoc primum Schiſma. Succeſſit alterum. Bridgii Eccleſia tota contentionibus flagrabat. Wardus tyrannide populi (nam Presbyterium nullum erat) depoſitus; & quanquam interceſſione Arnhemenſium reſtitueretur, nunquam tamen plenè reconciliatus fuit. Tandem, cum Bridgius & ſimſon in Angliam reverſi eſſent, duæ Eccleſiæ Independentes iterum, quanquam difficulter, unitæ ſunt, ac libertas prophetandi privatim & diè profeſto permiſſa eſt. Arnhemenſes Independentes præcipuè de ſua perfectione gloriantur, cum tamen craſſi Chiliaſtæ ſint; & Deum authorem peccati qua tale eſt, faciant; quorum utrumque ex ſui Archeri diſciplina hauſerunt, cujus blaſphemus liber Londini publicè manu carnificis combuſtus fuit.

A quinque retro annis ex Nova Anglia, & Hollandia, Londinum gregatim ſe contulerunt, & eam metropolin fecerunt, ex qua communibus conſiliis Independentiſmum propagarent. Palmarium eorum opus fuit Reformationem impedire, ſchiſmata & hæreſes fovere, Synodum ac ejus conſilia ſubvertere. Primò enim omnibus modis impediverunt convocationem Synodi. Cum Parlamentum magno dolore ipſorum tandum Synodum vocandam ſtatuiſſet, operam dederunt ut Independens Synodus vocaretur, electiva tantùm & conſultativa. Quotquot habebant celebres inter ſuos, intruſerunt, multis veteribus Puritanis Non-conformiſtis excluſis, quibus Epiſcopales ac Liturgiços homines prætulerunt. Ita quinque vel ſex Independentes tamdiu exoptatam Eccleſiæ Anglicanæ Reformationem impediverunt. Et cum jam Synodus in tertium annum duret, ac plures quàm quingentæ ſeſſiones habitæ

habitæ ſint (quod in nulla à condito orbe Synodo factum) nihil tamen adhuc opis & conſolationis Eccleſia contra inundationes hæreticorum acceperit. Sicut Synodum omnibus modis impediunt: ita & ejus diſſolutionem enixè moliuntur. Prætereo contumelias, quibus Reverendum cœtum laſciviosè in conventiculis ſuis publicè ac privatim adſpergunt. Exhibitâ Parlamento petitione, Synodum diſſolvi impudenter voluerunt. Ea petitio compoſita fuit in taberna quadam, Præſide *Johannis Lilburnio*, fanatico homine, procaciſſimi oris, conſilia ſuggerente & dictante Hugone Petro. Nam diſſolutâ Synodo, certi ſunt gubernationem Eccleſiæ non conſtituendam, & diſtractiones auctum iri, in quibus ipſi ſaginantur. Cum Parlamentum ad regimen conſtituendum inclinaret, Synodus eos humaniter invitavit, ut in tam pio & neceſſario opere ſe fratribus ſuis conjungerent; ſed noluerunt. Cùm ipſis permiſſum eſſet exhibere opiniones ſuas & Regimen ſcripto, ut ſic innoteſceret, pro quo Tyria maria commoverent; poſt multorum menſium vanam illuſionem & exſpectationem, evulgant libellum contumelioſum contra Synodum & ejus actiones, eumque typis evulgant. Quod Eccleſiæ Anglicanæ & Hibernicæ tamdiu in lamentabilis anarchiæ Oceano jactantur, non Papiſtæ, non Prælati, non malignantes in cauſa ſunt; ſed Independentes, quorum conſtans praxis eſt, ſe opponere pro extremo virium conſtitutioni Eccleſiæ quæ non convenit ipſorum exemplari. Ut ita ſicut in Nova Anglia nullam presbyterialem Eccleſiam tolerant: ſic in Veteri Anglia nulla erigatur. Atque hinc illi ruditus & rugitus contra maturationem gubernationis: *Differ, differ*, (inquiunt) *quid opus tantâ feſtinatione?* Ipſi in cauſa fuerunt tot hæreſium & ſchiſmatum. Johannes Lilburn & ipſe ſchiſmaticus, ex bello redux, narravit ſe quadraginta novas ſectas in via reperiſſe, & eas adeò atroces,

ces, periculosas, blasphemas, ut quanquam sit pro toleratione omnium Religionum, tamen vix abstinere manus potuerit. Independentes sicut producunt; ita & fovent ac nutriunt sectas; ac semper cum iis contra Presbyterianos colludunt. Eò jam insaniæ delapsi sunt, ut pro absoluta toleratione omnium Religionum, voce, scripto, mox & gladio id acturi, pugnent. Nam haud occultè jactant se libertatem sibi Religionis, quicquid tandem Parlamentum vel Synodus statuat, acquisituros. In nonnullis congregationibus fedus ineunt se pro extremo virium Independentisimum stabilituros, oppressis Presbyterianis. Quidam ad Prælaticos Sacerdotes professi sunt ante se omnes intercmturos, quàm passuros ut Presbyteria regant, potiusque juncturos vires pro reducenda Hierarchia. In summa: Presbyterianos ineffabili odio prosequuntur.

Doctrina Independentium.

Non est facilè exponere omnes Independentium opiniones, quia hactenus subterfugerunt intimos sensus suos in lucem proferre; & quia profitentur Scepticismum cum mutabilitate in opinionibus. Quàm refractarii sint in declaranda mente suâ, patet tum ex obstinato silentio eorum, tum quia etiam urgentibus ac obtestantibus fratribus suis detrectant sua dogmata proponere. Et ministri Londinenses, & nomine Ecclesiarum Walachriæ Apollonius, frustra eos instantissimis precibus sollicitârunt. Quod si aliquando narrationem viæ suæ ediderunt, id semper factum cum exceptione; ita ut profiterentur ultimas conclusiones suas & decretorias se nondum posse aperire. Et utut planiùs se declararent, tamen principium illud scepticum & mutationis impedit, quo minus certi esse possint orthodoxi de mente ipsorum. Singulares opiniones,

quæ

quæ in publicum emanarunt, nec hactenus revocatæ ſunt, ita ſe habent.

Cum profiterentur ſe abhorrere à Browniſmo, diſtincti ab ipſis fuerunt nomine Independentium, quod innuit præcipuum diſcrimen inter ipſos & Presbyterianos ſitum non in ſeparatione, ſed in regimine Eccleſiæ, quod contra omnes Eccleſias Reformatas ſuſtinent eſſe Independens, hoc eſt, non ſubjectum ulli authoritati & Juriſdictioni Synodicæ. Sed jam ferventi ſtudio rejiciunt nomen Independentium, profitentes Independentiam vel dependentiam congregationum eſſe unam ex minimis controverſiis. Ut quemadmodum orthodoxos vocant Calvinianos & Presbyterianos; ita ipſi loco Independentium vocandi ſint Browniſtæ & Separatiſtæ. Nam primò profitentur ſe dimidià parte inclinare ad Browniſmum, & veritatem conſiſtere in medio inter Browniſmum & Presbyterianiſmum. Sed etiamſi in quibuſdam inclinent ad mediam viam; tamen in præcipuis non tantùm conſentiunt cum Browniſtis, ſed & eorum furores exſuperant, ut pro Semiſeparatiſtis inveniantur Seſquiſeparatiſtæ. Nam Independentes ſeceſſionem faciunt à Reformatis Eccleſiis propter longè deteriores cauſas, quàm Browniſtæ. Hi enim prætendebant Epiſcopos, Liturgiam, & impietatem congregationum. Sed jam omnia hæc ſunt ſublata, & profani ac ſcandaloſi arceantur à Cœna. Nihilominus ſeparant ſe. Nam quod confitentur Eccleſiam Anglicanam eſſe veram Eccleſiam, & miniſterium ejus verum ac ſalvificum, id non minuit ſed auget crimen ſeparationis. Majus quippe peccatum eſt ſeparare ſe à vera Eccleſia, quàm à falſa. Renuunt omnem Communionem ut membra cum Eccleſiis Reformatis. Concionantur inter illos, tanquam inter paganos, ſolummodo ut viri donis præditi, pro colligendis novis Eccleſiis. Docent: Quicunque non amplectatur Inde-

pendentiam, utcunque cætera pius & orthodoxus ſit, eum non admittendum ad ſacram Cœnam, nec frui debere privilegiis Eccleſiæ; ſed tales eſſe Antichriſtianos ſpiritus, hoſtes regni Chriſti. Cúmque iis oblatæ eſſent optimè Reformatæ congregationes in Anglia, cum perſonali diſpenſatione quamdiu viverent; ſi modò vellent deſiſtere ab intolerabili ſeparatione, nihil impetrari potuit; & clarè oſtenderunt, ſe cum ſeparatis Congregationibus ſuis velle tolerari, & non aliter. Materiam & formam Eccleſiæ ſuæ à Browniſtis didicerunt. Neminem admittunt pro membro, niſi qui totam Congregationem convincit de ſua reali regeneratione. Præter veram gratiam requirunt in membro convenientiam Spiritus, ita ut affectus ejus concurrant cum affectibus totius Eccleſiæ. Sed in hoc ſunt laxiores Browniſtis. Nam Anabaptiſtas, Antinomos, & alios ſectarios admittunt, modò non ſint Presbyteriani. Formam Eccleſiæ ponunt in fœdere cum Browniſtis, ſed longè ſtrictiori. Neminem admittunt, niſi qui planè & plenè omnem eorum viam & ubicunque à Reformatis Eccleſiis differunt, amplectitur, & nuper Londini etiam hoc juramento ſuo addiderunt: Quod velint gubernationem Presbyterialem oppugnare, & Independentiſmum vi & armis propugnare. Cum Browniſtis Eccleſiam à privatis fœdere Eccleſiaſtico ſe obſtringentibus, ſine Magiſtratu & miniſtris, conſtitui volunt. Et hanc poteſtatem ſeptem ad minimum perſonis adſcribunt, nec plures admittunt quàm qui commodè in uno loco convenire poſſint: Volunt omnes in Anglia Eccleſias eſſe diſſolvendas, & miniſtros debere privatam perſonam induere, ac ſic novas Eccleſias Independentes conſtituere. Idque nuper patuit in Bermudis. In ea inſula pluſquam 3000 incolæ ſunt, qui multis annis pacificè per Eccleſias ſuas & piè vixerant, uſque ad A. C. 1641. Cum miniſtri ipſorum perſuaſi à Nov-Anglis ſe miniſterio

ſuo

ſuo abdicarunt, & privatas perſonas aſſumerent. Donec tres fœdere Eccleſiaſtico obſtricti, novam Eccleſiam conſtituerent, perſuaſis ad ſocietatem aliis circiter 40. Hi confœderati unum ex miniſtris qui ſe abdicarant, Paſtorem ſuum creant; & alios duos Presbyteros. Et hi tres per totam Inſulam prædicarunt, præparantes cæteros, ut membra Eccleſiæ fierent. Nullis verò Sacramenta adminiſtrarunt, præter quam illis 40 confœderatis. Ejuſmodi ſeptem perſonis dant omnem poteſtatem Eccleſiaſticam independenter ſub cœlo eligendi, ordinandi, deponendi, excommunicandi & decidendi omnes controverſias Eccleſiaſticas. Quæ controverſia circa poteſtatem Presbyteriorum & Congregationis, Browniſtas, Johnſonum & Ainſworthum exercuit, eadem Independentes exercet. Nov-Angli poteſtatem Eccleſiæ adſcribunt Congregationi, Presbyteris præparationem rerum, ita ut deciſio fiat per pluralitatem vocum. Claves dant non Presbyteris, ſed fraternitati, ut loquuntur. Et cum metuerent uſurpationem Presbyterorum, & ſuccreſcentem authoritatem, alicubi totum ordinem omiſerunt, Amſtelodami Browniſtæ, Roterodami Independentes, ubi nulli Presbyteri ſunt, ſed omnia à populo gubernantur. Imò Arnhemenſes multis annis ſine Paſtore vixerunt. Sed Cottonus & alii, cum viderent nimiam & intolerabilem populi poteſtatem ſuper Presbyteros, ab Ainſwortho ad Jonſtonum lapſi ſunt, & Presbyterii authoritatem ſupra fraternitatem extollunt, ac defendunt Presbyterii ſuperioritatem ſupra fratres eſſe de jure divino. Ut verò utrique parti ſatisfaciant, Presbyterium & fraternitatem faciunt cauſas ſine qua non: ita ut nihil ratum ſit quod Presbyteri egerunt, niſi conſenſu populi confirmetur; & populus nihil agere poſſit, niſi per Presbyteros. Quod ſi obſtinatio Presbyterii ſit incorrigibilis, tunc dant poteſtatem populo ſeparandi ſe ab iis, & novos Presbyte-

ros eligendi. Nondum tamen planè convenit inter ipsos, quanta poteſtas Presbyteris, quanta populo adſcribenda ſit. Multas diſtinctiones invenerunt, ſed neutiquam ſatisfactorias ſcrupuloſitati ſuæ. Maximè tamen iis arridet novum commentum Cottoni, diſtinguentis inter poteſtatem authoritatis & libertatis. Independentes plus poteſtatis Eccleſiaſticæ feminis adſcribunt, quàm Browniſtæ. Synodus Nov-Anglica non tantùm fraternitatem, ſed & ſororitatem facit ſubjectum privatæ clavium poteſtatis. Femina fuit fundatrix Eccleſiæ Roterodamenſis, in qua Simſon docuit. Hutchinſonia Cottonum, & complures, in Nova Anglia ad horrendos errores, & ipſum novæ Separationis præcipitium,abduxit. Londinenſes Independentes nuper feminis in Eccleſia poteſtatem dederunt diſputandi & decidendi controverſias ſuffragiis ſuis.Garrula Katarina Chidley in ſcripto pro Independentibus evũlgato, privatos ſcribit legitime ſacramentum utrumque adminiſtrare poſſe. Et utcunque in nonnullis ſit differentia inter Browniſtas & Independentes, tamen in præcipuo capite ſummus conſenſus eſt. Quæcunq; tandem poteſtas ſive libertatis,ſive authoritatis,ſit in Congregatione organicè,in fraternitate ſive Presbiterio radicaliter & habitualiter,conjunctim ſive ſeparatim,hanc ita adſtringũt Congregationi, ut nullam ſubjectionem alterius authoritatis agnoſcant. Vocabulum Independ. aliqui abominantur, ſed aliquí tantum. Sunt alii ex præcipuis ipſorũ Rabbinis,quibus id non diſplicet. Sed quicquid tandem id verbi ſit,rem omnes obſtinatiſſimè defendunt. In nulla re major concordia inter ipſos quàm in hoc, quod quælibet congregatio, etiam ſeptem tantùm perſonarum, totam Eccleſ. poteſtatem abſolutè ſine dependentia vel ſubjectione ſub cœlo poſſideat. Quod ſi corruptum & negligens Presbyterium non corrigat membra ſua, omnes Synodi totius orbis non habent

po-

poteſtatem juxta eos cenſurandi tales,etiamſi corrumperent hæreſi ſuâ & vitiis totam nationem. Itaque omnem authoritativam Synodorum poteſtatem ſive Nationalium ſive œcumenicarum pro Antichriſtiana tyrannide habent;& ſiquis ex congregatione minimâ ſe ſubmittat,eum dicunt abjicere libertatem,quâ Chriſtus nos liberavit. Atque hoc monſtroſum Independentiæ dogma, vel radix vel dogma eſt multorum errorum. *Radix:* quia pauci quidam ſe includentes exiguis terminis unius congregatiunculæ Independentis, exemti à cenſura aliarum Eccleſiarum, latam Diabolo fęneſtram aperiunt, ſeducendi eos in quaſvis humani cerebri imaginationes & errores, ſine ullo humano remedio. *Fructus*: quia qui ſibi conſcii ſunt ſingularitatis, quam non toleratum iri vident, ſtatim ſe recipiunt ad aſylum Independentiæ, ubi liberè ſua monſtra in ſinu fovere queant.

Ut crudum hoc dogma mitigent, tria, ſed in vanum, addunt. *Primo* concedunt claſſes, Presbyteria, Synodos; ſed ita, ut verbo tantùm differant, & claſſes ſint eædem cum Synodis. Nam inter claſſicale Presbyterium & Synodum nullas admittunt claſſes, ſive compoſita plurium congregationum Presbyteria, quæ Reformati faciunt primum & ordinarium ſubjectum ordinationis & aliarum juriſdictionum. Præterea Synodi ipſorum non niſi Browniſticæ ſunt, ſine omni juriſdictione, ubi cuilibet ex populo licitum ſententiam dicere, merè electivæ & occaſionales. Quod ſi claſſis vel Synodus non hoc modo ſe habeat, eam pro tyrannica curiâ,longè Epiſcopalibus deteriori habent. *Secundo*, Synodis adſcribunt cenſuram Non-communionis. Hoc novum commentum inter alia Cottonus veteri Browniſmo addidit; & eſt merum figmentum cerebri humani, quod Independentiam ad ſummum poteſtatis faſtigium evehit. Nam ſic quælibet, etiam minima congre-

gatio, omnes Ecclesias totius mundi poteſt à ſua communione rejicere. Orthodoxi tantùm ſynodis adſcribunt poteſtatem cenſurandi membrum vitioſum congregationis; & hi uni congregationi adſcribunt poteſtatem cenſurandi omnes Eccleſias & Synodos totius orbis. In hac *Non-communione* faſtigium Browniſmi & Separatiſmi conſiſtit. *Tertio*: Magiſtratui adſcribunt Poteſtatem hæreticos puniendi ac ſchiſmaticos. Et hoc à Browniſtis didicerunt. Sed nuper nimium affectata libertas eos ab hoc dogmate abripuit; & nunc obſecrant magiſtratum, ut Religiones liberas eſſe ſinat. Imò negant Magiſtratum ullam poteſtatem in Religionem habere, quod nec Papiſtæ, nec Arminiani tantâ auſi ſunt impudentiâ.

Sic patet, quod in ſeparatione, conſtitutione & regimine Eccleſiæ Independentes cum Patribus ſuis Browniſtis pari paſſu incedant, & in multis præcedant. Nec minus ſibi in his nugis quàm Browniſtæ placent. Nam in his ipſum J C. regnum conſtituunt, & qui ſe his phantaſiis opponit, eos hoſtes regni Chriſti faciunt. Dicunt Independentiam hanc eſſe initium & partem regni Chriſti in hac terra, quod mille annis duraturum ſit. In cæteris quoque Browniſtas Magiſtros agnoſcunt. Matrimonia Magiſtratui adſcribunt, vel miniſter nomine magiſtratus & ut delegatus ejus id confirmat. In divortiis nonnulli Browniſtis ſunt deteriores. Miltonus merum viri arbitrium, ſine uxoris culpâ vel judicis cognitione, facit ſufficientem divortii cauſam. Gortingius celebris in Nova Anglia Independens ante Hutchinſoniæ turbas, docet uxores poſſe repudiare viros ſuos, ſi nolint ſequi in novam Eccleſiam, quam ipſa amplectatur. Omnes circumſtantias cultûs divini, quas Scriptura non determinat, liberas permitti volunt, ita ut etiam Directorium vilipendant. Notum eſt, quàm acriter ſe oppoſuerint Directorio trium regnorum, & cum non poſ-

poſſent illud impedire, quantam operam dederint, ut in præfationem eæ phraſes insererentur, quibus omnis uſus ejus fruſtraretur. Uniformitati ſe præfractè opponunt. Vulgaria dierum, menſium, multarum civitatum & templorum nomina ipſis æquè ac Browniſtis illicita. Et tamen ſubterfugiunt templa ſub Papatu ſtructa, nec campanas refugiunt inventas à Papa & ſuperſtitioſè baptizatas. Decimas & ſtata ſtipendia abnuunt, & reſtitui volunt Apoſtolicam praxin, ita ut miniſtri Eccleſiæ ſuſtententur ex Eleemoſyna & voluntariâ contributione. Sed praxis ipſorum in hoc à doctrina diſcrepat. Nam amant ſtata ſtipendia, eaque larga. In ſolemni cultu ſæpe unus precatur, alter concionatur, tertius prophetat, quartus Pſalmos dirigit, alius dimittit & benedicit. Divinam inſtitutionem faciunt, ut cultus ſine ulla præfatione incipiat à precibus pro Rege & Eccleſia. Poſt Paſtoris preces Doctor legit & exponit. In concionando volunt vel ſumere textum, vel liberè diſſerere; prout ipſis videtur neceſſarium. Poſt concionem cuilibet ex populo, qui eſt idoneus, dant prophetandi libertatem. Omnibus licitum eſt ea quæ dicta ſunt, publicè examinare & contra objicere. Sed hæc duo exercitia adeò infeliciter in Nova Anglia ſucceſſerunt, ut libenter utrumque abrogatum viderent. Quidam nullas admittunt cantiones tempore publici cultûs; alii nolunt permittere ut mulieres canant in Eccleſia. Monſtroſiſſimum eſt illud Arnhemenſium inventum, qui canentem Prophetam inſtituerunt. Is ſolus in Eccleſia decantat Pſalmos, quos ipſe compoſuit; cæteris omnibus ſilentibus. Preces ex libro legi permittunt in certis caſibus; & Orationem Dominicam etiam in publico recitari, ſequentes Robinſoni doctrinam. Sed praxis eorum in hoc ſilet, & conſtanter Orationis Dominicæ obliviſcuntur. Neminem volunt baptizari, niſi infantes ſuarum congregationum. Et ſic

to-

totam Angliam, paucis illis Independentibus exceptis, reducunt ad Paganiſmum, excludentes eos omnes Eccleſiâ Chriſtianâ. Denegant ipſis Sacramenta, diſciplinam, miniſtros, & omnia quæ barbaris Americanis denegarent. Cæteros infantes ſine baptiſmo uſque ad annos diſcretionis manere volunt, donec poſſint non tantùm declarare actualem fidem & ſanctimoniam ſuam, ſed & ſubjicere ſe regno Chriſti, id eſt, Independentiæ. Nolunt admittere ſtipulationes pro infantibus. Immerſionem probant, nec adſperſionem improbant. Viam Anabaptiſmo præparant in tribus his, ubi non tantùm omnes orthodoxos, ſed & Magiſtros ſuos Browniſtas deſerunt. Primo denegant federalem ſanctitatem liberorum ex Chriſtianis parentibus natorum. Contra hanc Th. Goodwin concionatus eſt, palàm negans illam communem Proteſtantem diſtinctionem ſanctitatis in realem & federalem, & requirens in quolibet baptizando infante realem & inhærentem ſanctitatem, præter federalem. Quæ cum nullo certo ſigno poſſit in infantibus deprehendi, quis non videt Pædobaptiſmum ſubverti? *Secundo*: Baptizatos infantes non habent pro membris Eccleſiæ, priuſquam ſuſcipiant fedus. Et ſic baptiſmum exigui uſus faciunt, quo infantes ſine detrimento carere poſſint. *Tertio*: Anabaptiſmum pro tolerabili errore habent, nec membra ſua coram Presbyterio reprehendunt propter obſtinatum Pædobaptiſmi neglectum. Cœnam Domini noctu, poſtquam alius cultus peractus eſt, celebrari volunt. Cum nulla Reformata Eccleſia eam participant, ſed cum Browniſtis & Anabaptiſtis. Celebrant eam non ſingulis menſibus, ut in Nova Anglia; ſed qualibet Dominicâ, quod facit actionem Miſſæ Romanæ ſimilem. Nam non præparant membra ſua ad ſacrum illud convivium. Tam felices ſe eſſe putant, ut ſemper præparati ſint ad Cœnam Domini à primo ingreſſu ſuo in Eccle-

ſiam

ſiam uſque ad mortem. Toto hoc ſpatio nulla inter eos catechizatio. Hoc exercitium infra ſe habent,& tanquam inutile in tam perfectis congregationibus: Non habent concionem unâ ſeptimanâ ante Cœnam, ac ne quidem membra ſua admonent. Praxis Novæ Angliæ monendi omnes unâ Dominicâ antè Londinenſibus Independentibus diſplicet. Non habent conciones Euchariſticas poſt Sacramentum. Omni tempore Cœnæ altum in congregatione ſilentium: non lectio, non exhortatio, non pſalmi; membra ipſorum non opus habent ejuſmodi mediis ad ſacramentales meditationes. Etiam à Browniſtis didicerunt duplicem & diſtinctam conſecrationem utriuſque elementi ſigillatim. Novi Angli ſeſſionem ad tabulam habent pro neceſſario ritu. Sed quemadmodum Browniſtæ Amſtelodamenſess hodieque non habent tabulam,ſed mittunt elementa de pulpito per manus Diaconorum ad congregationem hinc inde ſedentem: ſic Independentes Londinenſes contendunt ſupervacaneum eſſe accedere ad tabulam, ſed volunt ſigilla à pulpito ad populum circumferri. Londinenſes urgent, quemlibet communicantem debere operto, miniſtrum nudo capite eſſe. Nam hunc ritum ſignificare communicantibus honorem convictûs & ſocietatis cum Chriſto; & miniſtrum eſſe ſervum Eccleſiæ. Finito cultu,tum cum Browniſtis totus populus audit & dijudicat res ad diſciplinam ſpectantes. Atque hic actus eſt omnium tædioſiſſimus, propter infinitas contentiones, quæ in congregationibus ipſorum oriuntur. Roterodami & Arnhemi congregatio aliquot dies continuos inſumſit in diſceptatione cauſarum, quæ die Sabbathi non potuerunt dijudicari. In Cognitione cuilibet membro quoad ſingula ſatisfaciendum eſt. Nam non ſpectant pluralitatem vel numerum ſententiarum, ſed harmoniam & conſenſum omnium, qui jus ſententias dicendi habent. Quod ſi qui

K diſ-

diſſentiant à majori numero, eos informant & laborant ad conſenſum perſuadere. Si nolint cedere & ſe fratribus ſuis conjungere;declarantur obſtinati,& excidunt jure ſuo ſententias dicendi pro illo tempore. Et quod peſſimum, ac ob leviſſimas occaſiones diviſionum in his congregationibus cauſa, diſſentientes ob contumaciam acriùs caſtigant.Privatos conventus,medios inter domeſticos & congregationales admodum commendant. Nam in iis communiter aliarum Eccleſiarum membra ad Independentiſmum ſuum præparant ac ſeducunt. Verùm Browniſtæ, & Nov-Angli, incommodis quæ ſenſerunt graviſſimis edocti, talia conventicula omittunt. Nam in Nova Anglia prætextu collationis & repetitionis concionum falſæ doctrinæ, abominabiles calumniæ contra orthodoxos miniſtros ac Magiſtratus ſparſæ; ita ut tam Reſpublica quàm Eccleſia collapſuræ viderentur, niſi Deus malum avertiſſet. Sed quoniam Londinenſes Independentes his conventiculis tanquam præcipuo medio pro ſeducendis aliarum Eccleſiarum membris utuntur, ideo iis ſtudioſè invigilant. Quod ſi collectio Eccleſiarum aliquando ad finem perducta eſſet, & curam adhiberent pro conſervando & ædificando id quod ſuffurati ſunt, tum procul-dubio æquè cauti futuri eſſent, ac Browniſtæ & Nov-Angli. Nam illæ congregationes privatæ ſunt ager hæreſium & diviſionum feraciſſimus. Magiſtratui impudenter adulantur, ita ut etiam Reformatas Eccleſias contumelioſiſſimè apud eum traducant. Nam jactitant ſe Magiſtratui tantum tribuere, quantum Presbyteriani non poſſint. Sed quàm falſum hoc ſit, ex his patet. *Primo*: quidam præcipuæ inter eos authoritatis negant Magiſtratum ullam poteſtatem in pios habere. Alii, ut Hutchinſonia,omnem Magiſtratum abnegant. *Secundo*: annon ipſorum doctrina excludit omnes Reges, Principes, Magiſtratus (pauciſſimis exceptis) ab

Ec-

Ecclesia & Sacramentis; infantes ipsorum à baptismo? *Tertio:* pauci illi Reges, Principes, Proceres quos admittunt, quamdiu quæso victuri esset ut membra inter eos? Nam dicunt se excommunicaturos sine mora etiam maximos Reges, propter vitium in doctrina vel vitâ; & nullum discrimen inter servum & Dominum eâ in re fore. Nec semel ejectis ullum humanum remedium relinquunt, etiamsi omnes Theologi, Synodi, Ecclesiæ viderent innocentiam eorum; nihil tamen hoc valeret contra congregatiunculam Independentem. *Quarto:* ubi rerum potiuntur, neminem ne ad minimum quidem munus publicum admittunt, nisi qui sit cordialis Independens. Et Magistratûs, quem admittunt, potestas omnis ac authoritas à beneplacito promiscui vulgi dependet. Reges ac Parlamenta subjiciunt populo. Quando Magistratus non vult amplecti eorum nova commenta, tum statim parati sunt ad insurrectiones, & totum statum subvertere conantur. Sic nūc in Anglia minacissimè loquuntur, & nil nisi cædem Presbyterianorum spirant, ac sperant. Ante aliquot annos in N. Anglia cum nescio quid de Rege suspicarentur, statim armârunt populum, & juramentum ab eo exegerunt, pro defensione Privilegiorum suorum contra quosvis. Et paulò pòst in tumultu Hutchinsoniano Magistratus coactus est eos exarmare etiam Bostoni, quod metus insurrectionis esset, & Magistratus de vita inter ipsos, Respublica de salute, laboraret. *Sexto:* anne Principia Independentium ullam Magistratui in Ecclesias potestatem relinquunt? anne submittunt se Civili potestati in Ecclesiasticis? anne se impediri patiuntur à Magistratu, quo minus Ecclesias deprædentur & furentur membra? anne jubente Rege & Parlamento dimittere aliarum Ecclesiarum membra, ea excludent à suis conventiculis? annon nuper declarârunt coram Parlamento, Religionem exemtam esse à civili po-

testate? *Septimo*: anne ullæ Ecclesiæ Reformatæ, vel ullæ Ecclesiæ totius mundi adeò injuriæ sunt in Magistratum ac ipsi, qui spoliant Regem & Parlamentum Legislativâ potestate? qui abolent omnes humanas Leges, & impediunt ne novæ fiant? Nam dicunt, Legislativam potestatem solius Dei prærogativam esse. Et Independentes, quanquam non tam rigidè & apertè in hoc loquantur, ac Brownistæ; tamen apertè dicunt: Non licere Magistratui leges condere, quæ non consentiant cum Legibus in Scriptura; cùm Scriptura sit perfecta Regula etiam in civilibus. Et Cottonus docet, civiles leges ab hominibus conditas, non ultra hominem obligare, quàm ratio Legis eum obliget & conscientia. Jugum Legis judicialis denuò imponunt cervicibus Magistratus, & in pace & in bello, sine ulla dispensatione vel in addendo vel in subtrahendo. Verum quidem est, quod Cotton hoc limitet ad eas Leges judiciales, quæ moralem æquitatem in se contineant. Sed hæc moralis æquitas ab eo, ut William testatur, ad tot particularia extendi solet, ut tota Lex judicialis reducenda sit. *Nono*: an ulla Reformata Ecclesia ministros facit membra supremæ Curiæ civilis cum potestate sententias dicendi in electione Magistratûs, & Leges civiles ex Scriptura compilandi? Magistratum miserè illudunt, & contradictoria ei persuadent. In Nova Anglia persuadent Magistratum, ut occidat omnes Idololatras & hæreticos, etiam integras civitates cum viris, feminis, infantibus exscindat. In Veteri Anglia doctrinam diametraliter contrariam sustinent. Nam hoc Theomachiam faciunt; & magistratui denegant vel minimam potestatem contra crassissimos Idololatras, Apostatas blasphemos, seductores & hostes Religionis. Itaq; tolerari volunt hæreses, schismata, Judaismũ, Turcismum, Paganismum, & quic-quid monstrosi erroris ortum est, orieturve. Denique propendent ad omnis generis hæreses.

Ad Arminianiſmum: dum docent realem ſanctificationem omnium baptizatorum infantum. Enthuſiaſmum: dum contemplantur Deum ſine Scriptura. Libertiniſmum: dum Deum faciunt authorem ἀνομίας. Antinomicos, Montaniſticos & Familiſticos errores fovent; nec Socinianis deſtituuntur. Declarant, ſe neminem velle ejici ex Eccleſia, propter errores qui non ſint fundamentales. Quo uſque autem hoc fundamentum extendere velint, quis ſcire poteſt?

De quibuſdam controverſiis inter diſſentientes fratres (Independentes), & Synodum.

Petierat Synodus à diſſentientibus fratribus, ut regiminis ſui formulam exhiberent. Cum hoc diu & per multos menſes fruſtra exſpectatum fuiſſet, tandem Thomas Goodwin, Jeremias Burroughes, Guilh. Greenhill, Guilh. Bridge, Philippus Nye, Sidrack Simſon, & Guilh. Carter, exhibent Synodo Remonſtrantiam, quam vocant, quâ exponunt cauſſas, cur nec poſſint, nec velint, Synodo exhibere formam regiminis ſui. Hæc charta fuit ab ipſis communicata aliis, & clàm typis excuſa, magno cum Synodi præjudicio. Scopus ejus fuit, perſuadere populum, quòd ſemper parati fuerint profiteri, quid ſentiant de regimine Eccleſiæ. Huic libello Synodus reſpondere coactus fuit, quam multis injuſtis aſperſionibus onerabant. Oſtenditque in reſponſo ſuo, quàm de die in diem, de menſe in menſem tergiverſati ſint, nec promiſſis de exhibenda forma ſteterint, ſed cavillati ſtatum Quæſtionis, latibula quæſiverint ac ſubterfugia. Synodus graviſſimam reſponſionem his verbis claudit: Exiſtimamus fratres non deſtitui juſtâ cauſâ, cur formulam regiminis ſui exhibeant Synodo; ſed eos vana prætendere, ac latere aliquid ſub hoc tectorio.

Fortasse nondum ipsi constituerunt, cui insistant firmiter; quia reservant sibi libertatem mutandi & retractandi, quod exhibita semel forma tam commodè vel honorificè fieri non posset. Vel non convenit ipsis inter se. Facilius est consentire in negando, quàm affirmando. Vel si hi septem conveniunt, alii fortasse fratres ipsorum, quibus formula hæc communicata fuit, dissentiunt. Vel si & hi consentiant, nolunt offendere eos à quibus subsidium sperant. Vel exspectant aliam opportunitatem evulgandi sensus suos, Synodo dissolutâ, ut ne respondere possit ipsis; Presbyteriis introductis, quæ displicitura credunt populo, & tum tempus fore scribendi arbitrantur. Quicquid hujus sit, committimus causam nostram Domino, qui amat veritatem & simplicitatem, & suo tempore deteget quæ nunc latent.

Cornelius Burges, Prolocutor pro tempore.
Adoniram Byfyeld, Scriba.

Burtonus contra Calamium: Vociferantur Presbyteriani, ut ostendamus iis formam & exemplar regiminis nostri. Nos verò vociferamur, ut seriam resipiscentiam agant, pro superstitionibus suis, cum subjecerunt se Antichristianæ Hierarchiæ; juxta illud Ezechielis XLIII. 10, 11. Si fuerint confusi, tum ostende iis exemplar. Ad quæ verba doctissimus ille & moderatissimus Calamus centum furiosis Burtonis præferendus. Sensus horum verborum est, neminem resipuisse à Prælatica conformitate, nisi Independentes & Presbyterianos utcunque frequenter humilient se & deplorent suam Conformitatem, nihilominus quamdiu non fiant Independentes, nondum esse confusos, nondum resipuisse.

Quòd sit magna spes unionis inter Presbyterianos & Independentes orthodoxos.

Quanquam verò controversiæ ob regimen in immensum

sum

ſum ferè excreverint contentionis ſtudio, tamen non deeſt ſpes unionis inter Independentes orthodoxos & Presbyterianos. Idque viri utrimque moderati teſtantur, facilè componi poſſe controverſias, ſi amoto calumniandi ſtudio, irâ, odiis utrimque aliquid remittatur; ut ſic regimen inter dominium & confuſionem mediâ viâ incedat. Hoc quidem verum eſt, ſi furorem Burtoni, maledicentiam Johannis Goodwini ſequi velimus, non magis ſpem componendi inter fratres exorta diſſidia eſſe, quàm ſi quis ignem oleo exſtinguere velit. Gilleſpius contra Colemannum, in fraterna examinatione pag. 33. Ubi nos (inquit) & Independentes conveniemus? In eo, quòd ſit regimen Eccleſię de jure divino, hoc eſt, quòd Paſtores & Presbyteri debeant ſuſpendere & excommunicare pro gradu ſcandalorum. Et quis ſcit, an non purgatio Eccleſiarum à ſcandalis viam unionis inter nos & Independentes faciliorem quàm multi credunt, redditura ſit? *Et in alio libello*, cui titulus: *Nihil Reſpondes*. pag. 19. Nunquam deſperamus de unione cum illis, qui ſunt ſani in fide, ſancti in vita, & promti ad regimen & purgationem Eccleſiarum per miniſtros Eccleſiæ. *Jeremias Burroughes Irenici cap.* 7. Quod illi, qui ſunt pro congregationali via, non defendant abſolutam libertatem omnium Religionum. Oſtendam, (inquit) diſcrimen non eſſe magnum inter Presbyterianos & Independentes, & in congregationali viâ quoad effectum æquè valida remedia eſſe contra hæreſes & ſchiſmata, quàm apud Presbyterianos. Nota duo. *Primo:* Eccleſiæ remedia contra hæreſes & errores tantùm eſſe ſpiritualia. Alia media ſunt extrinſeca. Quod ad Magiſtratum, ſi interponere vult authoritatem ſuam, utrique concedent. *Secundo*: Spiritualis poteſtas non operatur in externum hominem, ſed in conſcientiam. Ergo quamdiu homines ſunt conſcientioſi, tamdiu efficax eſt, & non ultra. Jam ergo vide, quæ diffe-

differentia fit in congregationali viâ à Presbyterianis, in reducendo homines ab erroribus. I. Congregationales fatentur, se in conscientia teneri rationem fidei suæ reddere vicinis Ecclesiis, vel aliis requirentibus; & hoc non esse arbitrarium, verùm à Deo mandatum. II. Fatentur, Synodos aliorum ministrorum & seniorum esse institutionem J. C. contra errores, schisma & scandalum. III. Has Synodos habere potestatem errantes admonendi in nomine Christi. IV. Ubi opus, possunt declarare homines vel Ecclesias esse subversores fidei, vel aliter pro natura peccati, ut confundantur coram omnibus Ecclesiis. V. Possunt solemniter & in nomine Christi abnuere ullam ulteriorem communionem cum iis, donec resipiscant. VI. Possunt in nomine Christi declarare, hos errantes non esse recipiendos in societatem ullius Ecclesiæ Christi neque communionem ordinationum Euangelii. Hæc omnia in nomine Christi facta, num nihil apud conscientias valebunt? Dices: quid, si omnia hæc spernant? Hoc perinde est, ac si diceres: quid, si non sint conscientiosi? quid, si nihil prævaleat in eorum conscientiâ? Quæro, quidnam Ecclesia porrò agere queat in reducendis hominibus ab errore? Dices: Hæc omnia agere possunt majori authoritate, quàm congregationalis via permittit. Sed quænam major Ecclesiæ potestas, quàm agere aliquid in nomine Christi? Dices: Privati fratres possunt admonere & declarare in nomine Christi. Sed hoc plus est, quàm privatum opus. Synodus est institutio Christi, & Presbyteria sunt ministri Christi. Dices: In Presbyteriali viâ adhuc alius gradus est, nimirum; si sex priora nolunt prævalere, Synodus potest eos Satanæ tradere. *Resp.* In hoc situs est nodus & cardo controversiæ inter Presbyterianos & Congregationales. Sed quæso, considerate, ad quod punctum dividamur; & num causa dissidii tanta sit, ut non possimus convenire.

Nam

Nam I. confidera, quid fit tradere Satanæ; quod eft feptimum illud, quod fratres noftri fperant prævaliturum in confcientiis hominum, ubi fex priora non poffint. Imò verò inquiunt. Nam fic ejiciuntur ex regno Chrifti in regnum Satanæ, & hoc perterrebit. Hæc ejectio intelligenda eft, clave non errante, cum Synodus rectè judicat, non aliter, & hoc conceditur. Tum confidera II. annon hoc factum jam fit in prioribus fex in nomine Chrifti factis? Nam miniftri C. in nomine ejus congregati folenniter declarârunt, hæreticas Ecclefias vel perfonas non habere jus ad ullam ordinationem Ecclefiæ. Et fi hoc judicium eft rectum, annon tales ejecti funt ex regno Chrifti in regnum Satanæ. *Objectio.* Sed non formaliter & judicialiter traditi funt Satanæ. *Refp.* Quid? an dividemur, & alter alterum devorabit propter formalitatem & jurifdictionem, qui termini non funt in Scriptura, cum in re confentiamus, quæ apud confcientias æquè prævalebit, ac fi formalitas effet obfervata? Præcipuè fi confideremus, magnam effe quæftionem inter fratres, annon hæc traditio Satanæ fit Apoftolica, peculiaris Apoftolis, ita ut non conveniat ordinariis Presbyteris? Quod fi ita, tum Non-communio erit extremus gradus cenfuræ Ecclefiafticæ. Et fi alii fratres afcendunt ad feptimum gradum, alii confiftunt intra fex qui talem fupra confcientias vim habent, ut iis non prævalentibus, ne feptimus quidem videatur prævaliturus, cur non Regula Apoftoli nos componat, Phil. 3. 15. 16? Si nos tantum attigimus fex, & fratres noftri feptem, ambulemus fimul in charitate ad fex. Si Deus revelet feptimum, & eum amplectemur. Cur enim tam violenter, etiam fchifmatis periculo urgeatur? Et utcunque non habeamus feptimum, tamen in fexto eft, quod habet in fe efficaciam feptimi. Nam in quo confiftit efficacia feptimi fuper fextum? annon in hoc, quòd fit ultimum medium à Chrifto

in conſcientias præſcriptum: quæ conſideratio plena terroris eſt? Jam Congregationales dicunt, quòd hoc ſit plenè in ſexto, & id æquè terribile eſſe conſcientiis ſuis, ac ſeptimum eſt conſcientiis fratrum; idque ob unum idemque fundamentum. Et jam fratres conſiderent, an congregationalis via nullum relinquat medium reducendi errantes in viam, ſed omnes toleret Religiones. Sanè non agunt ingenuè, qui tam vehementem accuſationem tam infirmo ſuperſtruunt fundamento. Sed quid, ſi congregationes nolint rationem viæ ſuæ reddere? Quid, ſi non tantum conſcientiæ in iis ſit, ut curent admonitiones, opponant ſe iis, & ſeceſſionem faciant? *Reſp.* Quid, ſi non curent veſtram traditionem Satanæ, ſed procedant in malis factis ſuis? *Dices*: Conqueremur apud Magiſtratum, & ejus ope utemur, ut curent decreta Eccleſiæ. *Reſp.* Sed jam non amplius remedium habebis ab intrinſeca poteſtate Eccleſiæ. Et quod ad ſubjectionem Magiſtratus, concedimus, ſi vult interponere authoritatem ſuam, poteſt juvare ſententiam contra ſubverſores fidei tam in Non-communione, quàm in traditione Satanæ. Et tunc ferendum nobis eſt quod infligitur, cum facere non poſſumus quod requiritur. Hæc differentia eſt, quod non tam longè progredimur in hoc, ut alii, qui legem hanc conſcientiis Magiſtratus imponunt, quod teneatur poteſtate ſuâ exſequi decreta Eccleſiæ, cognoſcendo tantùm factum Eccleſiæ, non inquirendo in rem ipſam. *Dices*: Si differentia tam exigua; cur non conſentitis? *Reſp.* Tam diu conſentimus, quamdiu videmus viam veritatis. Non audemus promovere unum gradum in tenebris. Si faceremus; certò laberemur in peccata. Navigamus ad fratres, quamdiu lux Scripturæ præit. Ultra non audemus periclitari. Non jam quæſtio eſt de magno, vel parvo; ſed de peccato. Si una pars urgeat alteram ad id quod ipſis eſt peccatum, vel ut

agnoſcat

agnoſcat aliquid tanquam poteſtatem Chriſti, quod non poteſt videre in verbo, differentia neceſſariò manebit, ſive ſit magnum ſive parvum, de quo ambigitur. Ergo via pacis eſt, non quod alter ad alterum neceſſariò venire debeat, quia res eſt exigua; ſed amor fraternus unius erga alium, quia differentia tantum eſt exigua. Hæc *Burroughes in Irenico* ſuo. Ad quæ *Joh. Ley contra Saltmarſhii Novam Quæſtionem*, ſect. 18. Si hoc, *inquit*, ita ſe habet; quænam major diſcrepantia in hac materia, quàm quæ fuit inter multos pios & orthodoxos Theologos de diviſione orationis Dominicæ, an contineat ſex vel ſeptem petitiones: cum illi qui ſunt pro ſex, eandem materiam habeant quàm qui pro ſeptem ſunt; & qui ſeptem, non plus quàm qui ſex. Quod ad me, ſi hæc candidè & ſincerè dicuntur, & ita accipiuntur ab aliis ejuſdem opinionis, ſpero adverſarios utriuſque partis non diu lætaturos in mutuis diviſionibus & controverſiis noſtris.

Vides, Lector, Controverſiam inter Presbyterianos & Independentes non eſſe deſperatam; & ſi modeſti utrimque arbitri eſſent, ac factiones Politicorum, hæc diſſidia ad alios uſus profanos vertentium, abeſſent, pacem ac concordiam facilè reſtitui poſſe. De qua jam aliquoties, verùm fruſtra, actum fuit; & contulit operam ſuam etiam *Joſephus Hall*, quondam Epiſcopus Norwichenſis, in nupero *Irenico* ſuo; ubi controverſias de regimine Eccleſiæ ita componi poſſe exiſtimat, ſi primitivum regimen revocetur, antiquitatis univerſali conſenſu approbatum, quo omnia fuerint tranſacta conſenſu Presbyterii, cui moderabatur conſtans Præſes. Hanc perpetuam Eccleſiæ praxin, fuiſſe neminem dubitare poſſe cui lectus ſit Clemens, Ignatius, & Hiſtoria primæ Eccleſiæ. Atque hunc Præſidem quandam ſuper cæteros authoritatem, ſuis limitibus & terminis circumſcriptam, habuiſſe. Nec jam de verbis li-

tigandum. Si nomen Epiſcopi diſpliceat, Moderatorem, Præſidem, Super-intendentem, Inſpectorem vocari poſſe. *Hæc Epiſcopus ille*, nondum oblitus ſui & qualis olim fuerit. Conſtans unius in plures authoritas eſt radix Epiſcopatus. Et notum ex hoc conſtantium Præſidum Equo Trojano, Epiſcopos Scotiæ ſub Jacobo immiſſos. Menſe Februario 1646 à delegatis Parlamenti pro Religione, decretum fuit; Independentes à ſubordinatione claſſium exemtos eſſe debere. Presbyteriani quærebant: In quibus ergo conſentire vellent? Reſponderunt Independentes: Non ſe hoc declarare poſſe, quia nondum ſciant, quouſque Eccleſias purgaturi ſint. Regeſſerunt illi: Non ſe poſſe reformare & purgare Eccleſias, antequam habeant authoritatem & poteſtatem eas reformandi & purgandi. Ibi tum negotium pacis inter partes hæſit. Menſe Martio Parlamentum Commiſſarios Eccleſiis impoſuit. Nunquam adeò tumultuatum fuit à Provinciis & Civitate. Presbyteriani proteſtabantur contra abſurdum inſtitutum, & petitionem Parl. exhibuerunt, quam Independentes deteriorem eſſe dicebant XIII Epiſcoporum proteſtatione. Denique res ad apertam ſeditionem ſpectabat, & jactabatur per Provincias: Niſi Parlamentum Commiſſarios illos tollat, tum ſe tributa excuſſuros, & Maſſejum Ducem Libertatis ſuæ creaturos.

Catalogus errorum & hæreſium & blaſphemiarum in Anglia productarum, inde uſque ab anno 1640, *maximè tamen tribus poſtremis annis.*

Quoniam hactenus in genere actum fuit de magno hæreſium in Anglia incremento, & ſumma quoque turbonum Eccleſiæ orthodoxæ genera aperta: ideo nunc particularius cuncta errorum monſtra in lucem protrahenda ſunt.

Facilè

Facilè enim concesserim, quod multi dicunt, Angliam receptaculum infamis ejusmodi credendi, scribendi, docendi licentiæ factum; sed & illud non ignorandum est, longè majora pietatis incrementa fuisse; & non habere omnes sectas, hæreses, schismata, quod uni illi summis viribus opponere queant.

Catalogus hic erit ingens, immanis & incredibilis. Cæterum haud-quaquam dubitandum est, quin ejusmodi apud Anglos venditata sint, & hoc communis totius regni experientia testatur. Habebis conflugem horribilium effatorum. Et hoc quoque statuendum erit; non ullam esse sectam, quæ omnia hæc profiteri ausit. Quædam Enthusiastas, alia Scepticos, Antinomos, Arrianos, Anabaptistas respiciunt.

Hæ igitur opiniones sunt, quæ ab anno 1640, maximè tamen his tribus posterioribus annis, in Anglia prævaluerunt.

I. Scripturam non posse dici verbum Dei. Solum Christũ esse verbum Dei; Scripturam literam mortuam, nec majoris fidei quàm humana scripta, & inventionem humanam.

II. Scripturam, sive Ebræa, Græca, Anglica, &c. sit, tantùm esse humanæ authoritatis, nec posse revelare Deum; Itaque solum Christum esse regulam obedientiæ.

III. Scripturam esse incertam & insufficientem, nec ei fidem superstruendam.

IV. Revelationes Dei non esse alligandas ad Scripturam, nec dimidium gloriæ Dei sive in praxi, sive doctrina adhuc revelatum; sed exspectandum, quid ulterius revelaturus sit in corde nostro.

V. Scripturam esse meram allegoriam, & quoad propria nomina, & quoad personas ac res; atque has allegorias esse mysteria & spiritualem sensum ejus.

VI. Scripturam esse opus merè humanum, non verò

peculiariter inspiratum. Quod dicatur sanctos scripsisse ex inspiratione divina, id non de alio Spiritu intelligendum, quàm à quo fluunt aliæ actiones humanæ, & in quo vivimus, movemur & sumus.

VII. Scripturam V. Testamenti non concernere Christianos. Itaque Sectarii rejiciunt testimonia V.T., & aliqui non legunt V.T. nec id compingunt cum novo. VIII. Rationem sanam esse Regulam fidei: & eatenus credendum Scripturis & doctrinæ Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis, quatenus congruunt rationi; non aliter. IX. Novum Testamentum non obligare ulterius ad credendum, quàm Spiritus in præsens revelet eum locum esse verbum Dei. X. Scripturam in vulgata Lingua sine expositione in Ecclesia prælegere, pejus esse quàm Latinam populo prælegere. Hanc enim nec nocere, nec prodesse.

XI. Deum esse authorem peccati, quatenus est ἀνομία & ἀταξία. XII. Omnia mendacia esse ex ore Dei. XIII. Hanc esse voluntatem Dei, ut inde ab adventu Filii ejus, sit permissio Paganæ, Judaicæ, Turcicæ, Antichristianæ Religionis, nec nisi verbo Dei contra eas pugnandum: & peccatum sine comparatione maximum esse in Magistratu, uti coërciva potestate contra conscientias; Magistratum ne quidem ob blasphemias, etiamsi Deus & Scriptura negaretur, quenquam punire posse. XIV. Neminem propter peccatum damnari; sed quia Deus ita velit. XV. Hominem habuisse vitam, antequam Deus inspiraret eam; & id quod inspiravit, fuisse partem essentiæ divinæ, ac ad Deum reverti. XVI. Deum æqualiter diligere contemtissimam creaturam, ut bufonem, atque sanctos suos. XVII. Nullum alium Spiritum esse, quàm Deum; & Principem aëris qui regnet in filiis inobedientiæ, Deum esse. XVIII. Deum non decrevisse omnes actiones hominis: quia homines agentes decreta Dei non peccerent:

cent. XIX. Deum nunquam esse iratum, vel pœnitere; aliàs mutabilem fore. XX. Non esse Electionem particularem, sed generalem sub conditione perseverantiæ; nec Scripturam ullibi loqui de reprobatione. XXI. Animam cum corpore interire; & omnia, excepto Deo, finem habitura. XXII. Quamlibet creaturam initio Deum fuisse & esse: Vitam esse spiritum Dei revertentem ad Deum: & Deum absorbere eum sicut gutta ab Oceano. XXIII. Ad salutarem cognitionem Dei non sufficere Deum nosse ex libro Naturæ vel Scripturæ: sed eum non esse noscendum abstractè à misericordia & omnibus aliis attributis. XXIV. In unitate Dei non esse Trinitatem. XXV. Non tres personas esse in Deo, sed tantùm tria officia. XXVI. Unam tantùm in Deo personam.

XXVII. Christum non esse Deum verum & essentialem, sed nominalem; nec per æternam generationem, sed quatenus sit homo. XXVIII. Christi humanam naturam æquè ac nostram peccato Originali esse corruptam: Christum à nativitate usque ad mortem eandem originalem corruptionem ac nos habuisse. Eum tam suscepisse in naturam suam peccatum nostrum, quàm carnem; nec sanctiorem, quàm nos simus. Contrarium pugnare cum honore Dei & consolatione sanctorum. XXIX. Magna nos exspectasse à quodam crucifixo Jesu, sed id nihil prodesse. Debere esse Christum formalem in nobis Deitatem unitam humanitati nostræ. Christum nil aliud egisse in hoc mundo, nisi quod XXXII annos vixerit. Benedictum esse illum, qui nunquam confisus sit crucifixo Christo. XXX. Christum fuisse verum hominem cum crearet nos, imò ab omni æternitate. Et etiamsi non habuerit carnem, tamen eum esse verum hominem sine carne. XXXI. Christum pro omnibus hominibus æqualiter mortuum tam sufficienter quàm efficaciter, tam pro Juda quàm pro Petro.

XXXII.

XXXII. Per Christi mortem omnia omnium & singulorum hominum peccata, commissa contra moralem Legem & primum fœdus, actualiter esse remissa. Et hoc esse æternum Euangelium.

XXXIII. Christum tantùm satisfecisse pro peccatis contra primum fœdus, non verò secundum ut incredulitatem. Eum non esse mortuum pro ullius infidelitate. XXXIV. Christum tantùm mortuum pro peccatis præteritis, antequam Euangelium reveletur peccatis. Pro peccatis post conversionem commissis Christum non mortuum, sed ea remitti per ejus continuam & juge sacrificium. XXXV. Quemlibet pro peccatis contra secundum fœdus satisfacere, nim. pro infidelitate: ita ut pro unius anni infidelitate homo ferat unius anni iram; & hanc esse totam satisfactionem quam Deus requirat, juxta illud; qui non credit, ira Dei manet super illum. XXXVI. Neminem damnatum iri, nisi ob solam incredulitatem. XXXVII. Gentiles qui nunquam audierint de Christo, tamen habere Euangelium. Nam quamlibet creaturam, Solem, Lunam, stellas, prædicare Euangelium hominibus: in ipsis revelatam esse cognitionem Christi crucifixi; & Remissionem peccatorum, si modò viderent eam. XXXVIII. Gentiles qui pereant, perire tantùm propter incredulitatem; quia non credant Euangelio quod habent. XXXIX. Christum pro nemine acquisivisse vitam & salutem, ne quidem pro Electis. Nam non fuisse finem Dei, per adventum Christi acquirere amorem & vitam; sed ipsum Christum fuisse acquisitum per amorem, ut faceret nos amare, & redimeret nos ad amandum. Nam Christum venisse, non ut reconciliaret Deum homini, sed hominem Deo. Etiamsi enim Christus proponat vitam & amorem: tamen non acquisivit eum, verùm acquisitus fuit per eum.

XL.

XL. Chriſtus venit in mundum, ut declararet amorem Dei erga nos; non ut ſatisfaceret Deo. XLI. Unctio illa, 1 Joh.2,20. una & eadem eſt cum the Chriſtood of Chriſt.

XLII. Chriſtum fuiſſe Legis præconem, ac vixiſſe in tenebroſo ævo. Demum poſt adſcenſionem ejus prædicatum Euangelium.

XLIII. Chriſtum mille annis viſibiliter ut Monarcham terrenum regnaturum, deſtructis omnibus Imperiis. XLIV. Et tunc, ſublatis omnibus hoſtibus, Eccleſiam Judæorum & gentilium victuram in pace: omnes Chriſtianos fore ſine peccato, verbo, ſacramento; & hos mille annos tranſituros in mundanis deliciis, quaſcunque creaturæ liberatæ à ſervitute ſua præbere poſſint, generando liberos, edendo, bibendo, ludendo. XLV. Homines poſſunt ſervari ſine Chriſto. Etiam Ethnicos ſervari, ſi colant Deum pro modulo ſuo, quanquam nihil audiverint de Chriſto. XLVI. Minimam veritatem plus eſſe, quàm ipſum Jeſum Chriſtum. XLVII. Chriſtus per mortem ſuam liberavit omnes à temporali morte, quam peccatum Adami tantum meretur, acquirendo iis reſurrectionem & viam veniendi ad patrem. Et ſic mortuus eſt pro omnibus, aliter pro nullis.

XLVIII. Spiritus Dei non habitat nec operatur in ullis. Non eſt alius Spiritus qui operatur, niſi noſter proprius. XLIX. Eundem Spiritum eſſe qui operatur in filiis inobedientiæ, & ſanctificans corda fidelium. L. Eſſe perfectionem in hac vitâ non per verbum, Sacramenta, vel alias ordinationes Dei; verùm per experientiam ſpiritûs in ipſo homine. LI. Hominem baptizatum Spiritu ſancto noſſe omnia, ut ipſe Deus, quod ſit magnum myſterium, & magnus Oceanus, qui non habeat fundum. LII. Siquis per ſpiritum ſciat ſe eſſe in ſtatu gratiæ, etiamſi cædem committat vel ebrietatem; Deum tamen non videre pec-

catum in eo. LIII. Sanctificationem non esse notam justificationis, & omnes notas ac signa Christiani status esse legalia & illegitima. LIV. Fideles non habere inhærentem sanctificationem, nec spirituales habitus gratiæ infusos in corda eorum, sed omnem sanctificationem eorum esse inhærentem in Christo, & propter hanc solam eos dici sanctificatos in Scriptura.

LV. Adamum etiam in statu innocentiæ moriturum fuisse morte naturali, nec mortem esse fructum peccati in fidelibus. LVI. Imaginem Dei tantùm consistere in facie hominis, tam in impiis quàm piis. LVII. Adamum & homines in eo non amisisse imaginem Dei per lapsum, sed tantùm incurrisse mortem temporalem, quæ protracta fuerit ad tempus, promisso Salvatore. LVIII. Non esse originale peccatum in nobis. Solum Adami peccatum fuisse originale. LIX. Peccatum Adami nemini imputari, nec quenquam propter id puniri.

LX. Nullum hominem magis esse spiritualem altero, nec ullam talem internam differentiam esse inter hominem & hominem; omnem differentiam esse externam in verbo, quod ducat quosdam, & non alios. LXI. Omnes quibus prædicetur Euangelium, eo ipso immediatè & ex seipso posse credere. LXII. Non esse Liberum Arbitrium nec ad bonum nec ad malum, nec in statu naturæ, nec gloriæ. LXIII. Hominem posse resistere gratiæ; & gratiam quæ convertat unum hominem, non conversuram alterum. LXIV. Naturalis homo potest facere ea, quibus Deus annexuit gratiam & acceptilationem; & homines si pro extremo virium quærant gratiam, eam inventuros. LXV. Regenitos posse totaliter & finaliter deficere. LXVI. Moralem Legem nullum planè in fidelibus usum habere; non esse Regulam vitæ fidelibus, & fideles esse liberos à mandatis Legis. LXVII. Justificatos non per

fidem

fidem justificari, sed ob omni æternitate. LXVIII. Neque fidem, neque resipiscentiam, nec abnegationem sui, nec alia opera esse officium Christiani hominis. LXIX. Veram fidem esse sine omni dubitatione salutis; & qui dubitet, eum non credere.

LXX. τὸ credere sive fidem propriè imputari ad justificationem, non verò Christi justitiam. LXXI. Doctrinam resipiscentiæ esse saluti animarum inimicam. LXXII. In Veteri fœdere Resipiscentiam fuisse medium obtinendi R.P. & R.P. secutam contritionem. Sed sub Euangelio aliter se rem habere. LXXIII. Æquè possibile esse Christo peccare, ac fideli cuivis. LXXIV. Non debere esse dies jejuniorum sub Euangelio. LXXV. Deum non affligere suos propter peccata; & etiamsi fideles peccent quantum possint, tamen est fons apertus in quo se abluant; nec propter peccata fidelium, sed infidelium, terram puniri. LXXVI. Fidelium non esse prospicere, ne peccent; Deo prospiciendum, si velit. LXXVII. Deum æquè amare suos propter bona malave opera, tam peccantes quàm benè agentes; nec quenquam æstimare meliorem propter bona, deteriorem propter mala opera. LXXVIII. Fideles non debere humiliari propter peccata post conversionem, & factum Petri ex infirmitate fidei ortum. LXXIX. Fideles non debere à Deo remissionem Peccatorum petere. Esse blasphemiam, si fidelis petat R. P. & Davidem in eo lapsum. LXXX. Abrahamum, cùm negaret Saram esse uxorem suam, & aliud simularet, nihilominus perfectè sanctum & justum fuisse in conspectu Dei. LXXXI. Vocatos habere peccata in carne & conversatione, sed non in conscientia. Nam veram fidem in electis, & peccata in conscientia non magis consistere posse, quàm lucem & tenebras: & sic reconciliant Scripturas illas: *Si dixerimus*, &c. 1 Joh. 1, 8. & : *qui natus est ex Deo, non peccat.*

LXXXII. Magnus Antichristus est mysticum illud corpus, quod opponit se Christo; non Papa Romanus, vel particularium virorum successio. Papa tantùm est pars Antichristi. Quidam Antichristum faciunt eos, qui se opponunt erroribus Antinomorum; alii eos, qui negant Christum pro omnibus mortuum: alii Magistratum coërcentem sectarios. LXXXIII. Animam hominis esse mortalem, ut brutorum; & mori cum corpore. LXXXIV. Animas fidelium dormire usque ad diem judicii; nec capaces esse ullius actionis pro Deo, sed esse iis velut suaviter somniantibus. LXXXV. Corpora fidelium non resurrectura eadem; sed animas earum habituras alia corpora vel per creationem, vel per productionem ex materia. Homines nihilominus fore eosdem, quia anima eadem sit. LXXXVI. Infantes non resurrecturos: quia non sint capaces cognitionis Dei; ac per consequens, nec fruitionis. LXXXVII. Perfectionem & Resurrectionem, de qua agat Paulus 1 *Cor.* 15, 51. & *seqq.* ad 57. fore in hac vita, & eo pertingendum ante mortem. LXXXVIII. Nullas sanctorum animas esse in cœlo, ubi Christus sit; sed cœlū illud fore vacuum usq; ad resurrectionem mortuorum. LXXXIX. Nec resurrectionem, nec cœlum, nec infernum, nec Diabolos post hanc vitam esse. XC. Fore omnium, quæ unquam vixerint, brutorum resurrectionem. Quodlibet individuum cujusvis speciei resurrecturum. Et hæc bruta victura in æternum in hac terra. XCI. Non esse infernum, nisi in hac terra; & hic infernus sunt legales terrores in hominum conscientiis. XCII. Non esse Ecclesiam Christi in terra, nec ministerium, nec Sacramenta, nec Euangelium, nec fidem; quia non sint dona visibilia, vel infallibilia. XCIII. Neminem damnari, nisi propter contemtum Euangelii; & neminem posse contemnere Euangelium, nisi quibus prædicetur, sicut Apostolorum tempore factum, per miracula.

XCIV.

XCIV. Puram prædicationem verbi, & sacramentorum administrationem, non esse notas veræ Ecclesiæ visibilis. XCV. Miracula debere conjungi cum Euangelio; & qui prædicant Euangelium, eos debere miracula edere. XCVI. Multos Christianos hoc tempore habere majorem cognitionem, quàm Apostolos; & ubi tempus venerit erigendi veras Ecclesias, tunc fore majora dona & majora miracula, quàm tempore Apostolorum; quia tunc Ecclesia tantùm fuerit in infantia sua. XCVII. Non nunc deberi constitui Ecclesias, prædicari verbum, administrari Sacramenta; sed exspectandam Ecclesiam, & ad quodlibet tempus debere nos esse paratos, ac inquirere ex quovis peregrino quamlibet opinionem & doctrinam. Sanctos ac viatores ambulare in fumo templi, nec posse invenire Religionem. Ideo exspectandum Spiritum; ut Apostoli fecerint. XCVIII. Esse salutem revelandam posterioribus temporibus, ipsis Apostolis ignoratam. XCIX. Brevi Deum suscitaturum Apostolos homines extraordinario spiritu & infallibilibus donis præditos: & hoc præcessurum ruinam Romæ.

C. In articulis fidei nihil certò esse credendum & statuendum, sed omnes debere habere libertatem conscientiæ & prophetiæ. CI. Scripturas nullibi loqui de Sacramentis, nec de nomine, nec de re. CII. Fedus, cujus sigillum circumcisio, tantùm habuisse temporales promissiones, ut terram Canaan. Fedus cum Abrahamo initum, nihil spirituale habuisse. Circumcisionem fuisse sigillum justitiæ fidei non aliis, quàm soli Abrahamo quatenus pater; non verò filiis ejus. CIII. Baptismum non esse signum vel sigillum gratiæ federalis. CIV. Pædobaptismum esse illegitimum & Antichristianum; & æquè licitum baptizare felem, vel canem, quàm infantem fidelium. CV. Æquè licitum esse transgredi ullum ex decem præceptis, occidere, furari, adulterium committere, quàm baptizare infantem.

CVI. Omnibus concionantibus discipulis, etiamsi ministri non sint, licitum esse baptizare. CVII. Etiam non baptizatos & privatos tamē posse baptizare & docere. CVIII. Miracula esse essentialem partem administrationis baptismi, de quo *Matth.* 28, 19. CIX. Nullos admittendos ad Cœnam, ne quidem sanctos & fideles, nec baptizandos liberos eorum, nisi sint in via Ecclesiasticâ. CX. Nullam Scripturam vetare, quo minus idem multoties baptizetur: nec magis hoc illicitum, quàm Cœnam iterare sæpius. CXI. Verba, *Hoc est corpus meum*, literaliter intelligenda. CXII. Recipientes Cœnam operto, administrantes aperto capite esse debere. CXIII. Æquè necessarium esse membrum Ecclesiæ, ac Christi; nec quenquam posse salvari, nisi sit membrum Ecclesiæ. CXIV. Ecclesiam Anglicanam esse Antichristianam & Diabolicam, & absolutè illicitum ministros ejus audire. CXV. Ecclesiam Romanam aliquando fuisse veram Ecclesiam, Anglicam nunquam. Unde probabilius sit Eccl. Romanam tueri veram doctrinam de Libero Arbitrio, universali Redemtione, Peccato Originali, quàm Ecclesiam Anglicam.

CXVI. Vocationem & ordinationem ministrorum non esse de jure divino; sed ministrum fieri sicut mercator, Bibliopola, sartor & alii opifices. CXVII. Omne statutum stipendium pro ministris Euangelii, maximè tamen decimas, esse illicitas, Judaicas, Antichristianas. CXVIII. Ministros debere laborare & exercere munus aliquod, ne sint graves Ecclesiæ. CXIX. Non debere esse distinctum ordinem ministrorum, sed omnes qui dona habent, ordine, cæteris eligentibus, concionari, orare, baptizare. Et tunc quisque suâ vice minister, & loco ministri est. CXX. Omnes dies Christianis esse pares; nec magis nos alligatos ad diem Dominicam, quàm ad aliam. CXXI. Judaicum Sabbathum hodieque observandum. CXXII. Christianos non

non teneri ſingulis ſeptimanis conſtanter convenire, vel precari & concionari tanto ſpatio, juxta conſuetudinem gentium. CXXIII. Cuilibet licitum prædicare Euangelium. CXXIV. Licere feminis concionari; cum habeant dona ut viri. CXXV. Partem libertatis Chriſtianæ eſſe, non audire proprium miniſtrum, ſed ubi libeat, & à quo plus commodi ſperetur. CXXVI. Illicitum colere Deum in conſecrato loco,& ubi Idololatria exercita;velut in templis. CXXVII. Concionandum & dona exercenda ſine ſtudio prævio & præmeditatione; nec cogitandum, quid dicas antequam dicas: quia Spiritus eo momento revelabit. CXXVIII. Non opus eſſe eruditione humanâ,vel lectione authorum. Omnes libros & eruditionem exſcindendam. Quod tanta volumina ſcribunt,& eruditionem adeò extollunt, ex inopia ſpiritus fit. CXXIX. Quædam mulieres illicitum putant quenquam audire concionantem publicè vel privatim; quia non debeant eſſe ſimiles illis apud Timotheum mulieribus,2 Tim. 3.6,7. *Semper diſcentibus, & nunquam ad cognitionem venientibus.*

CXXX. Planè illicitum eſſe concionari tanquam in Eccleſia, ſed eatenus licet, ſi concioneris ut exſpectans diſcipulus. Id eſt, Chriſtianis non licet concionari poſitivè, ponendo & aſſerendo certi quid; ſed tantùm conferendo, arguendo, diſputando. CXXXI. Illicitum Cœnam recipere, ubi ulli præſentes impii. CXXXII. Sic illicitum precari, ubi impii. CXXXIII. Sic illicitum precari etiam privatim cum illis, qui non ſunt membra veræ Eccleſiæ, ſed Anglicanæ. CXXXIV. Utcunque licitum ſit conferre & loqui cum omnibus: tamen illicitum eſſe cum illis, qui non ſunt ejuſdem opinionis (etiamſi cætera pii ſint, & membra Eccleſiæ alicujus) vel ante cibum orare. CXXXV. Illicitum eſſe precari cum aliis utcunque piis & ejuſdem opinionis, publicè privatimve, niſi tales

les

les personæ habeant infallibilem spiritum, ut Apostoli. Hæc opinio admodum invalescit, & multi omnes in Ecclesia preces omittunt, tantùm disserentes & loquentes ad populum. CXXXVI. Christianos non teneri constanter qualibet die orare, stato tempore, manè, vesperi, sed cum Spiritus movet eos; etsi multis septimanis non sentiant instinctum, tamen non esse orandum. CXXXVII. Impiis planè non esse orandum. CXXXVIII. Cantiones sacras & Psalmos Davidis non esse canendos. CXXXIX. Cantiones, quas Christiani debeant usurpare, esse hymnos ab ipsis compositos proprii spiritus ductu; & eos pro specialibus occasionibus esse canendos in Ecclesia, cæteris silentibus.

CXL. Agapas, cum quibus Cœna celebranda, esse perpetui juris, & sola membra Ecclesiæ iis interesse debere. CXLI. Regimen Ecclesiæ esse merè civile. CXLII. Sex septemve unitos federe Ecclesiastico ut membra, habere absolutam potestatem clavium, & omne regimen in seipso, nec ulli classi Synodove subesse in ulla re. CXLIII. Presbyteriale regimen esse falsum Prophetam & bestiam in Apocalypsi, & tertiam partem Romæ. CXLIV. Esse hoc tempore visiones & revelationes, aliis magis frequentes, & in populo Dei fore communes paulò pòst. CXLV. Donum miraculorum non cessasse hoc tempore, & quosdam in baptizando ac alibi fecisse miracula, & populo Dei donum illud brevi restitutum iri. CXLVI. Ungere ægros oleo per Presbyteros orantes & manus imponentes, esse ordinationem Ecclesiæ pro membris ejus & eorum sanatione. CXLVII. Ordinario hoc tempore Christianos cum Paulo in tertium cœlum rapi, & audire ineffabilia. Nec benè certos fidei suæ esse, qui non hoc experti sint.

CXLVIII. Magistratui nihil negotii cum Religione esse debere, & rebus Ecclesiasticis; sed civilia tantùm curanda. CXLIX. Idololatriam esse, exspectare formam colendi

lendi Deum ab hominibus, Parlamẽto, Synodo. CL. Quosque errores Ecclesia in hominibus fert, non excommunicando, eosdem & Magistratus ferre debet non puniendo. CLI. Populum posse à Parlamento rationes exigere; & illud ad rationem factorum adigere. CLII. Si quod Deus mandat, etiam Magistratus mandet; Christianus non debet facere id, quia Magistratus mandat.

CLIII. Tota terra sanctorum est, & omnia iis communia: & sancti debent bona divitum sibi vindicare. CLIV. Licitum viro uxorem dimittere propter aliquod vitium accidens; & virum in ea re summum judicem esse. CLV. Bigamiam simultaneam esse licitam. CLVI. Liberos non teneri obedire parentibus impiis. CLVII. Parentes non debere catechizare liberos suos, docere eos legere Scripturam, precari; sed debent eos Deo docendos committere. CLVIII. Religio non est defendenda gladio. Ipsa se defendet. CLIX. Illicitum est pugnare pro Legibus & Libertate. CLX. Illicitum est pugnare, vel occidere quenquam. Imò ullam creaturam occidere in usum nostrum, est illicitum. CLXI. Idololatria est uti precibus præscriptis. CLXII. Illud Davidis: Vermis sum, & non homo; literaliter intelligendum. Imò eum & hominem & non hominem fuisse, in eodem literali sensu. CLXIII. Scripturam tantùm unius fidei meminisse.

CLXIV. Quidam sectariorum Londini putant in Suffolcia Prophetam suscitatum iri, qui prædicaturus sit æternum Euangelium, cumque tantùm exspectare vocationem ex cœlo. Hunc exspectant quotidie, tanquam illum Prophetam, 1 Joh. 25. Propheta distinctus à Christo & Eliâ, est ille vir Suffolcius. CLXV. Non posse consistere cum bonitate Dei, damnare creaturas suas in æternum. CLXVI. Deum Patrem regnasse sub Lege, Filium sub Euangelio; & nunc utrumque regnum tradere Sp. Sancto, cumque effusum

iri in omnem carnem. CLXVII. Fore generalem redemtionem, qua omnes Deo reconcilientur & salventur. Tantum eos qui nunc credant & sancti sint, gradu perfectionis superiores fore cæteris. CLXVIII. Illicitum esse Christianum Magistratum gerere. CLXIX. Omnes creaturas in Adamo amisisse tantum, quantum homines.

CLXX. Christum non acquisivisse homini vitam & salutem, sed tantùm talem vitam, qualem quævis creatura cum eo habet. Nam secundum Adamum non acquisivisse homini vitam æternam. CLXXI. Euangelium spectare ad omnes creaturas; & hoc esse cum dicitur: Euntes docete omnem creaturam. CLXXII. Directorium cultus esse contra secundum præceptum, & vitulum Jeroboami. CLXXIII. Nullum jam esse in inferno, nec fore usque ad diem judicii. Nam Deus non punit primo, deinde judicat. CLXXIV. Fidem non esse supernaturale quid. Nam videre nos sufficientes rationes, cur aliquid credendum sit. Credere aliquid absque ratione, stultorum est. CLXXV. Legis transgressio non punitur æterno igne, & in inferno; sed Euangelii inobedientia. Si Lex: Ergo Christo in inferno moriendum fuisset pro nobis. CLXXVI. Si amor Dei tantùm est erga quosdam; ergo non infinitus. Adscribere præteritionem quandam Deo, est blasphemare nomen ejus. CLXXVII. Formulam baptismi: *Baptizo te in nomine Patris*, esse inventionem & traditionem hominum, non mandatum Christi. CLXXVIII. Loca *Matt.* 28, 19. *Mar.* 16, 15. non de baptismo aquæ, sed doctrinæ, intelligenda: & baptismum aquæ tantùm in nomine Christi factum. CLXXIX. Uniformitatem in externo cultu esse Antichristianam, & partem mysterii iniquitatis. CLXXX. Spiritualem Ecclesiam doceri per unctionem, carnalem per concilia. Tres duosve Christianos idem auxilium Sp. S. habere, ac Synodum maximam, &c.

Hic

Hic eſt brevis catalogus præcipuarum hæreſium & errorum, qui in Anglia hodie, inter illas regni turbas, vigent; prout à *Thoma Edoardo*, Londinenſium Paſtore, nupero libro cui titulum *Gangrænæ* fecit, exponuntur. Jam narrationes quaſdam, ex eodem authore petitas ſubjungemus de horrendis ſectariorum blaſphemiis, quas hinc inde eructant.

Londini mulier quædam multis audientibus dixit, mendacia eſſe in Scriptura; & homines ex Scriptura idolum facere. Locum *Gen.*6,6. mendacem eſſe. Alius dixit, ſe hiſtoriam Noachi iraſcentis Chamo propter conſpectam nuditatem, confutaturum. Nam non veram hiſtoriam recenſeri, ſed aliud quid, quod commemoretur in libro cui titulus: The Wandrinus Knight. Cumque civis quidam regereret: Spero te non comparaturum illum vanum librum cum Scripturis; Imò verò, *inquit ille*, ea Scriptura æquè bona eſt, ac Moſis.

Menſe Febr. 1646 quidam Cozen Rocheſtriæ in Cantio dixit, Jeſum Chriſtum eſſe ſpurium; & ſi nunc eſſet in terra, ob multa quæ olim egerit, pudore ſuffuſum iri. Hæc cum idoneis teſtibus probata fuiſſent, in carcerem conjectus, & iterum ſine pœna dimiſſus fuit, ac jam hæreticorum receptor eſt qui eò ex urbe confluunt. Circa idem tempus quidam Cats cum ſociis ſuis Eſſexiam peragravit baptizans & ſubmergens multos. Billericeiæ finitâ concione, circumſiſtunt miniſtrum, & eum quæſtionibus ineptis vexant. Cumque miniſter eos ad ſe domum ſuam invitaret, ibi ſe ſatisfacturum dubiis promittens, ipſi in templo exclamare & vociferari: Eum non prædicaſſe liberam gratiam. Et ſubſumus, inquiunt, Antichriſto. Antichriſti ordo eſt primò baptizare, dein docere, tertiò credere; Chriſti verò docere, credere, baptizare. Et ſic occaſionem ſumſerunt publicandi errores ſuos de univerſali gratia & aliis

capitibus. Pædobaptiſmum variis modis exagitant, nunc felem, velut infans baptizandus eſſet, faſciis involvendo, ac convocando vicinos ad baptiſmum. Quibus collectis, repentè quis contra Pædobaptiſmum concionari incipit. Multas vetulas, mediâ hyeme fluminibus ſubmerſerunt, cum vitæ periculo; ſuntque haud paucæ eo modo exſtinctæ. Iuvenculas ſilentio noctis ex ædibus paternis abductas, rebaptizant. Si quis contra eos ſcribat, eum ſtatim omnibus calumniis proſcindunt. Prynnium deteriorem faciunt Laudo. Aliquando commenti ſunt Th. Edoardum mortuum, Calamium brachium fregiſſe, Twiſſum moribundum jacere. *Videte*, inquiebant, *judicia Dei*! Planè furunt contra Presbyteria. Quidam Anabaptiſta dixit, ſe priùs cœlum & terram conflagrantes viſurum, quàm ut erigantur Presbyteria. Alius: hoc ex articulis fidei ſuæ eſſe, intra ſeptem annos nomen Presbyteriorum ne quidem auditum iri in Anglia. Alius: ſe ſperare Presbyteria æquè conculcata fore, ac Epiſcopos. Alius: Si ita perſequantur ſanctos, tum aliud quid agendum fore. Manifeſtè jactant, debellatis Cavalleriis ſe Presbyterianos & Scotos deleturum.

12. Nov. 1645. circiter LXXX Anabaptiſtæ Londini Agapen in domo quadam celebrarunt. Modus hic fuit. Initium à precibus factum. Iis finitis, omnes ſeorſim in genua procubuerunt, & quidam ſingulis, viris feminiſque, manus impoſuit, precatus ut reciperent Spir. Sanctum. Scopus eſt, omnes qui poſt impoſitionem manuum receperint dona, eos in Provincias mittere, & in plateas, ac ad Parlamentum. Sed hanc miſſionem paululum differunt, viſuri interim rerum ſuarum ſucceſſus. Cùm mentio incidiſſet cujuſdam Pauli Beſt, qui ob Arianiſmum in carcerem eſt conjectus, quidam Independens miniſter reſpondit: Carcerem nihil profuturum. Cum regereret alter:

Quid

Quid ergo faciendum, si hic Arianus Ecclesiam colligat? Respondit: urge eum argumentis; coërcens potestas alia non est sub Euangelio. Objiciebatur locus *Deut.* XIII. Responsum: Christus hoc sub Euangelio mitigavit. Adulterium sub Lege erat capitale: sed. Christus adulteram dimittit. Denique eò res devenit, ut etiam Papistarum Idololatriam tolerandam palàm jactent. Quidam civis Londinensis servum habuit petentem dimissionem. Interrogatus, quare? respondit: Se velle frui libertate conscientiæ. Interrogatus, in quo? Nolo, inquit, imposterum catechizari. In Bedfordia cum minister quidam resipiscentiam urgeret, mulier in concione surrexit, & dixit: eum concionari mendacia ac falsas doctrinas. Colcestriæ ministro quodam contra schisma concionante, sectarius clarâ voce exclamavit: O quantus hic Diabolus est! quantus hostis populi Dei! Est ex Diabolo natus, concionatur blasphemias!

Southamptoniæ quædam Anabaptista mulier somniavit Christum sibi visum, ab eo se perfumatum; & interdictum sibi, ne infantem suum baptizaret. Paulo post insana facta, exclamavit se videre & odorari Diabolum, sulphur, picem, ignes. Quidam Web homo novæ Lucis, dixit se gratias agere Deo, quod nunquam confisus fuerit Christo crucifixo; neque se credere eum esse filium Dei: vel Scripturam verbum Dei; verùm humanam inventionem, ineptam quæ sit regula fidei & vitæ. In confirmationem hujus dixit: Scripturam esse aureum vitulum, & æneum serpentem, qui Regem contra Parl. Parlamentum contra Regem, regnum contra regnum excitet: nec unquam benè in mundo fore, quamdiu non ille serpens æneus comminuatur. Interrogatus, quid de Resurrectione mortuorum statuat, dixit: Non magis homines resurrecturos quàm bruta, nec aliam se animam habere quàm corpus. Spiritum

tum tamen quendam esse in piis & impiis, qui ad Deum revertatur. Idem non agnoscit ullum locum pro piis vel impiis, non cœlum, non infernum, non Diabolos alios, præterquam quos ipsi sibi homines faciant. Illicitum esse arbitratur in hominis usum ullam creaturam occidere. Ex Anabaptista factus est Atheista. Rigidus Independens est, ac brevi sperat futurum, ut omnes Independentes sint ejusdem secum opinionis. Nam unum tantum gradum ipsis deesse ad novum illud lumen & veritatem. Scotos vocat Babylonicam bestiam, & regimen Presbyteriale, Sacerdotum monopolium. Alius quidam Idiota seduxit quinque filias unius viri, & eas rebaptizavit, ac sine parentis consensu nupsit. Alia Mulier volens rebaptizari, vestes suas exuit, ac coram immersore nuda constitit. Interea dum preces recitabantur, naturam suam utrâque manu obtexit. Quod cum Anabaptista videret: Incongruum est, inquit, ut tu manus tuas demittas, cùm Christus eas & cor in cœlum erigi præceperit. Sed ipsa pudore confusa, renuit; & sic rebaptizari non potuit. Mense Julio 1645. apud Ashfordiam in Cantio novem mulieres in fluvio quodam demersæ & baptizatæ sunt. Quædam ter fuit immersa, quoniam aquas metuebat, sic ut totum corpus iis objectum non esset. Tertiâ vice parùm abfuit, quin suffocaretur. Ibidem senex quidam submersus, cum emersisset: Per Dei pedes, inquit, parùm abest, quin suffocassetis me. Mulier ægra à quodam sectario Guilh. Kiffin post manuum impositionem oleo inuncta fuit. Valetudine receptâ, in congregationem venit; & coram populo: Medici, inquit, me deseruerant. Sed frater Kiffin & patientia me inunxerunt; & sic subitò convalui. Rogo, ut gratiæ Deo pro me agantur. Idque factum est.

Alicubi Judaicum Sabbatum in usum revocarunt, fenestris clausis. Colcestriæ ipsum Judaismum propagant, &

Pro-

Proſelytos faciunt. Quidam Henricus Denne, Anabaptiſta & Arminianus, Elſleiæ in Cantabrigienſi agro, omnem Pſalmorum decantationem abrogavit. Poſt concionem provocat eos quibus non ſatisfactum, ad diſputationem; & illi objiciunt contra ea quæ dixit. Dicit æternum Euangelium hoc eſſe, quod Chriſtus pro omnibus mortuus ſit. Alius Erbury Sectæ Quærentium, Edmundiburiæ concionans dixit inter alios errores: Paulò pòſt Deum Apoſtolicos viros excitaturum, qui extraordinarium concionandi donum habituri ſint; & tunc ſecuturam ruinam Romæ. Loquitur contra collectionem Eccleſiarum & Anabaptiſmum, dicens; debere nos exſpectare adventum ſpiritûs, ut Apoſtoli fecerint. Sicut enim Iſraëlitæ in deſerto habuerint mel & manna, ſed non circumciſionem neque Paſcha; ſic nos habere multas dulces conſolationes, colloquia, preces, ſed non miniſterium & Sacramenta. Tandem, collapſâ Româ, fore novum cœlum, novam terram, novam Jeruſalem. Idem Northamptoniæ dixit; Scripturam eſſe incertam, & non poſſe nos ei fidem noſtram ſuperſtruere; quia tot diſcrepantia ejus exemplaria ſint.

Quidam Nicolaus Londini multas blaſphemias eructavit; ut, Deum eſſe authorem peccati; & omnia mendacia ex ore Dei fluere. Neminem ob ullum peccatum damnari; ſed tantùm, quia ſic Deo placeat. Alius ad Grenhillum dixit: æquè licitum eſſe baptizare canem, ac infantem. Katarina Chidlei multos ad Browniſmum ſeducens, acerrimè invecta eſt in Grenhillum & alios, qui conveniat in locis ubi Idololatria fuit exercita. Ad quam Grenhill: Hoc nimirum vis, illicitum eſſe colere Deum in loco ad Idololatriam ſub nomine alicujus Sancti ſecreto. Sed vide, tota Anglia fuit conſecrata Georgio, Andreæ Scotia, aliæ regiones aliis ſanctis; & ſic, juxta te, illicitum erit Deum in Anglia vel alibi colere. Marſhal, homo ex plebe, in præſentia

ſentia civium quorundam Londinenſium ſuſtinuit, Paullum, cum ad *Rom.* 7. conqueritur de corpore mortis, novitium fuiſſe, nec intellexiſſe Chriſtum in promiſſionibus: & ſe melius intelligere myſterium Dei in Chriſto, quàm Paullus. De ſcripturis (dicebat) non aliud exiſtimandum, quàm de aliis ſcriptis humanis. Quemlibet pro ſuo ingenio & judicio ſcripſiſſe. Tum dixit: Scriptura eſt vitulus aureus, circa quem ſaltatis. Idem eſſe infernum negat; & omnes ſalvandos ſtatuit, ſive boni ſint ſive mali; imò omnes omnino creaturas, quæ ſe ad Deum convertant. Infernum nihil aliud eſſe, niſi terrores Legis in hac vita. Scripturam plenam eſſe contradictionum. Illicitum ullam creaturam occidere; quia habeat vitam à Deo.

27. Febr. 1644. quidam ſchiſmaticus Londini prædicavit; Chriſtum non magis eſſe Deum, quàm ſe vel alium hominem. Quod cum pii viri audirent, metuentes ne domus ad tales blaſphemias corrueret; feſtinanter ad ſua conceſſerunt. Clemens Wrighter, Antiſcripturiſta, Quæſtioniſta, Scepticus & Atheiſta, princeps eſt eorum, qui negant Scripturas eſſe verbum Dei, ſive in originali, ſive in verſionibus ſpectetur: nec fidem ei ſuperſtruendam. Idem negat animam hominis eſſe immortalem; & cum homo excedit, tum totum ejus dormire dicit, uſque ad Reſurrectionem. Non aliam fidem Scripturis deberi, quàm humanam; ſicut credamus hiſtoriam Henrici VIII, vel alterius Regis. Negat eſſe miniſterium, fidem, Euangelium, niſi quis poſſit demonſtrare ſe æquè immediatam vocationem ac Apoſtolos habere. Idem dicit, neminem poſſe damnari, niſi propter rejectum Euangelium. Neminem rejicere Euangelium, niſi cui illud prædicetur, ut tempore Apoſtolorum factum, & miraculis confirmetur.

In *Lincolnia*, *Ely*, *Hartfordia* ſunt mulieres quæ concionantur, & nonnullas etiam baptizare dicunt. Londini ſingulis

gulis ſeptimanis docent. Exemplum hoc eſto. *Menſe Decembri* 1645 Londini mulier plebeia concionata eſt. Primo dixit ad circumſtantes: *Si quis habet verbum exhortationis, loquatur.* Tacentibus cunctis, perrexit; &: *Nunc eſt* (inquit) *tempus illud, quo impletur quod Deus promiſit: Effundam ſpiritum meum in ancillas meas, & prophetabunt.* Tum precibus recitatis, quæ per dimidiam horam durabant, ad textum venit, qui erat: *Si diligitis me, cuſtodite præcepta mea.* Finitâ concione dixit: *Si quis habet, quod objiciat contra ea quæ dicta ſunt; loquatur.* Ad quæ dicta mulier alia ſurrexit, & varia protulit; ſed à circumſtantibus aliquoties interturbata fuit, ita ut deſiſtere cogeretur, cum multâ prioris mulieris imprecatione, quòd Legatos Dei turbarent. Ad quæ concio: *Voſne Legati Dei?* Denique tam horribilis confuſio ibi fuit, ut ſatis dici non poſſit. Et hæ muliebres conciones refertæ erant multis damnandis blaſphemiis. 1. Non conſiſtere cum bonitate Dei, ut quiſquam damnetur. 2. Deum Patrem regnaſſe ſub Lege, Filium ſub Euangelio; nunc verò Sp. S. regnaturum & effuſum iri in omnem carnem. 3. Fore univerſalem inſtaurationem & ſalutem omnium. 4. Chriſtum pro omnibus mortuum. Dicunt ſe eſſe in deſerto, exſpectantes effuſionem Sp. S. Soror quædam interrogavit: *quanam authoritate concionarentur?* Reſponſum: *Se non concionari, ſed tantùm dona exercere. Nam neminem in mundo nunc poteſtatem concionandi habere.* Interrogata: *quâ authoritate ſe exerceat?* Reſpondit: *Ex* 1 *Pet.* 4. 10, 11. & ad *Ebr.* 10. alter alterum exhortetur. Mal. 3, 16. & Tit. 2. 3, 4. *Senior mulier doceat juniorem.* Prætereà dixit, ſibi in animo fuiſſe tantùm ad ſui ſexus compares dicere. Poſtea gloriam Dei eviciſſe, ut etiam alios auditores admitteret. Interrogata: *quid de baptiſmo Simonis magi, Ananiæ & Sapphiræ ſtatuat?* Reſpondit ſe dubitare, an legitimè fecerint qui eos baptizarunt. In Cantio Braſtecdi,

mulier concionatrix eſt, & ibi quoque panem frangunt. *Quidam civis Londinenſis* retulit: In ſua familia quatuor tantùm homines eſſe, & ſingulos peculiarem Religionem ſequi. Se eſſe membrum Eccl. Anglicanæ: uxorem ex ſecta Quærentium: ancillam Anabaptiſtam: ſervum in Eccleſia aliorum circiter xxiv, qui conveniant & exerceant dona: ſed nullos Pſalmos decantent, abominentur auditionem miniſtrorum, nullos dies precum vel jejunii obſervent. *Menſe Julio* 1645 Colceſtriæ in Eſſexia quidam ſectarii dixerunt diem judicii extremi, magno cum terræ motu, paullò pòſt venturum. Ideo nullus eorum ſibi in hyemem proſpiciebat; ſed omnis cura & conſultatio erat de itinere Hieroſolymam verſus ſuſcipiendo, ut ibi in cœlum transferrentur. Quædam mulier ſectæ Quærentium ad hoc iter ſollicitata; reſpondit: Se non eſſe paratam ad tam longum iter. Alii Londinum iverunt ad Judæum quendam, qui eos de via Hieroſolymam ducente, inſtruxit, ac quid fugiendum faciendumve edocuit. *Paulus Hobſon* ſartor, & unus Anabaptiſtarum, qui confeſſionem ſubſcripſerunt, contra vitam Chriſtianam ſic concionatus eſt: *Olim æquè legalis eram, ac quiſquam veſtrum eſſe poteſt. Nulla dies abiit, quin mane, veſperi, ante, poſt cibum precarer, & peccata mea adeò deflerem, ut fere oculos perdiderim. ſed certus ſum, cum omnia hæc facerem, me ne Jota quidem Dei habuiſſe. Knowlius* Novâ Angliâ ob errores proſcriptus in Veterem venit, & ibi publicè docuit: *Uſum præſcriptarum Liturgiarum eſſe Idololatriam, & omnes qui iis utantur, certò damnatum iri*. Pro mortalitate animæ editus eſt liber incerti authoris (ſed putatur eſſe Clementis Wrighter, ut Th. Edoardus tradit) titulo: Mans Mortalitie. Præcipua argumenta ſunt ex Gen. 3, 19. Eccl. 3, 10. *Quidam Antinomus* in pulpito exclamavit: *Apage Legem, quæ homini pedes amputat; & poſtea eum hortatur, ut ambulet*. Pagit f. 97. *Browniſtæ* dicunt orationem

tionem Dominicam æquè Deo exoſam, ac Judæis carnem ſuillam. Idem f. 67. Cujuſdam *Wilkinſoni* Browniſtæ diſcipuli eò inſolentiæ venerunt; ut ſe Apoſtolis Petro ac Paulo æquarent, ac pro Apoſtolis haberi vellent. f. 69.

Pars diſputationis inter ſectarium & pium miniſtrum.

Sectarius: Chriſtus ſatisfecit tantùm pro peccatis contra primum fedus, *Heb.* 9, 15. *Orthodoxus*: An ergo non ſunt peccata contra ſecundum fedus? *Sect.* Tantùm infidelitas. *Orth.* Quis ergo ſatisfecit pro infidelitate? *Sect.* Quilibet homo pro ea ſatisfacit: quia qui non credit in Filium, ira Dei manet ſuper eum. *Orthod.* Ergo omnes gentiles ſalvantur, quia ipſis peccata contra primum fedus remiſſa ſunt; & contra ſecundum nunquam peccarunt, quippe nunquam ipſis revelatum. *Sect.* Ethnicis Chriſtus & Euangelium in creaturis prædicatur, *Col.* 1, 23. ſi modò habeant oculos ad videndum illa myſteria. Superiori anno apud Bathoniam & Briſtoliam hæ duæ opiniones inter Anabaptiſtas, tanquam glorioſum lumen, ortæ ſunt. 1. Chriſti humanam naturam æquè ac noſtram, peccato Originali corruptam. 2. Unam tantùm Deitatis perſonam eſſe.

De moribus Sectariorum.

Sectarii Angli habent omnes proprietates deſperatiſſimorum hæreticorum. Quando propter ſcelera doctrinæ & vitæ ad partes vocantur, cum Donatiſtis nil niſi perſecutionem ſanctorum & fidelium exclamant. Adoriuntur orthodoxos vi miniſque; ſuos in cœlum extollunt, aperto J. C. & Apoſtolorum vilipendio ac contemtu. Auditum à nonnullis; hunc illumve Apoſtolos præcellere: Ipſum Jeſum Chriſtum, ſi in terram reverteretur, vix melius

concionaturum: Vitam Angelicam &(ut sanctos) in cœlo se vivere. Subdolè sensus suos occultant, nec apertè profiteri volunt quid sentiant. Atque in hoc etiam quidam orthodoxi Independentes rei tenentur, qui cùm adeò procaciter contra Synodum insurgant, nunquam tamen eò adigi potuerunt, ut suum ipsi regimen exhiberent; idque ob has rationes, quanquam aliud prætendant. 1. Quia ipsi in summa rei dissentiunt. 2. Quia sententias suas in dies & horas mutant. 3. Quia sic alios sectarios offenderent. 4. Quia nonnullorum procerum qui longiùs progrediuntur, offensam metuunt. 5. Quia tum omnes judicarent, id quod tantâ deliberatione, tantoque tempore publicatum sit, summè perfectum esse, ac refutatum ostenderet eorum vanitatem. Impudentia sectariorum summa. Nonnulli pro Independentia sua citant Ecclesias Scoticas & Gallicas, quas constat ex professo aliud sentire. Alii pro prætensa libertate conscientiarum Leidenses adducunt, disputat. L, sect. 59. 60. quos apertissimum est aliud sentire. Joh. Goodwin in doctrina sua de justificatione, Calvinum, Bucerum & alios pro se citat, qui omnes orthodoxam sententiam contra ipsum tuentur. *Cum Arminianis Belgis* consentiunt in his: 1. *Arminiani* initio Magistratum adulati sunt, declinantes Synodos, & ab iis ad ordines appellantes, quibus summam rerum Ecclesiasticarum jurisdictionem adscribebant: Sic sectarii Parlamentum extollunt, & id judicem in Ecclesia faciunt. 2. *Arminiani* initio in quinque tantùm articulis dissensum profitebantur; postea in quos non errores lapsi sunt? Tota Socini lacucuna iis non suffecit. Sic sectarii intra biennium in majores hæreses lapsi sunt, quàm unquam fuerunt. 3. *Arminiani* fuerunt Sceptici, profitentes se hoc nunc sentire, posteriores cogitationes esse sapientiores: sic sectarii ab uno lumine novo ad recentius, & sic in infinitum labuntur, di-

centes,

centes, Diem dies docet. 4. *Arminiani* quamdiu pro toleratione pugnarunt, nunquam mentem suam clarè exposuerunt: sic sectarii nolunt exponere cui firmiter inhæreſcant, & monstra obstinato silentio alunt. 5. *Arminiani* in multis locis persequebantur Orthodoxos: sic sectarii. 6. *Arminiani* penissimè Belgium evertissent: sic sectarii Angliam in miserrimum statum conjecerunt. 7. *Arminiani* Remonstrantes erant, conquerentes de Synodo & modo procedendi: sic sectarii furtim protruserunt Remonstrantiam, cur synodo non exhibuerint formam regiminis sui? 8. *Arminiani* acerrimè in Magistratum invecti sunt, cum se synodo conjungeret, negantes ullam ejus potestatem super Ecclesias esse. Idem & sectarii faciunt, quoties Magistratus vel minimum quid contra eos decernit. Cum decretum de Presbyteriis erigendis promulgaretur, sectarii impudenter Magistratum calumniati sunt, quod Leges contra sanctos condat. Alii concionabantur de ingenti quæ immineret persecutione; & tyrannidem Episcoporum comparatam cum Presbyteris, nihil fore. Itaque in eo omnes sectarii conveniunt, quod malint Episcopos quàm Presbyteros: & primipili ipsorum profitentur, Episcopos & tolerationem sibi satisfacturam. Quidam cum Lecestriam audivisset captam, optavit ut ne unquam res Parlamenti haberent meliores successus, quamdiu contra Independentes ita procederet. Cum in Parlamento decretum fuisset contra Laicorum conciones, sectarii cœperunt pro successu Regis orare, à quo exspectabant tolerationem. *Scotis* sunt infensissimi. Cum Montrosius prævaluisset, manifestè causam cladis rejecerunt in regimen Scoticum, & quod schismata tolerari nolint. Nihil intentatum relinquebant, quo fedus cum Scotis abrumperent: Omnia per miras calumnias in odium gentis religiosissimæ congesta. Nonnulli dicunt, Scotiam adhuc semipaganam esse.

Inde usque ab initio hujus anni 1646 nihil egerunt aliud, quàm ut Scotos suspectissimos & abominabiles Anglis redderent. Igitur quæ Angli milites in septentrione crudeliter perpetrabant, ea cuncta Scotis adscripta. Prolatæ nescio quæ literæ, quibus Scotos cum Rege colludere nunciabatur. Independentes omnium conditionum, quibus inter Regem Franciæ, Angliæ, & Scotos transactum esset, gnari. Jam Newarkam iis traditam, jam Oxonium fabulabantur; & si aliquot Scoti ad exercitum venirent, statim horribilis fama per totam Angliam sparsa, multa Scotorum millia adventasse; & id eos moliri, ut totâ Angliâ potiantur. Mira verò eorum impudentia in rebus militaribus. Quicquid prosperè geritur, id sibi Independentes adscribunt. Quicquid Fairfaxius patrat, id Cromwello suo imputant; & haud obscurè Imperatoris gloriam suis calumniis offuscant; hac mendaci criminatione publicatâ, quod dixerit Bristolia capta: *Fairfaxium id, & non Deum fecisse.* Vix sexta Exercitus pars Independentes, & tamen soli omnia faciunt. Nonnulli jactant Fairfaxio novi luminis radios affulsisse; alii, eum planè Independentem factum. Se ipsos vocant pios, bene affectos & sanctos. Sive jam sint Anabaptistæ, sive Quærentes, sancti sunt. Omnibus annituntur modis, ne stabiliatur regimen; vel saltèm, ut imperfectum & vagum stabiliatur. In nonnullis Parochiis, ut *Elslyæ* in Cantabrigia, *Alberyæ* in Hartfordia, omnem Psalmorum decantationem eliminârunt, & alibi preces abrogant. Quod si in loco quodam non possint Psalmos abrogare, tum eo quo decantantur tempore, contemtim pileos suos capiti affigunt; & si quis eos abripiat, denuo imponunt. Alii aures solent occludere, inprimis feminæ, ne melodiam percipiant. Multi quoque inter preces operto capite sunt. Pervagantur omnes Provincias, opida, pagos, domos, & hæreses suas disputando pro-

pugnant.

pugnant. Clam inter se ita conveniunt, ut quidam simulent se pro pædobaptismo esse. Post acrem disputationem, tandem ille fucatus Antagonista dat manus, & profitetur coram populo; se convictum, ac veritatem sibi illucescere. Nonnulli miracula & visiones allegant. Anabaptistæ Eboracenses dicunt, cum quidam mediâ hyeme in Ousa baptizaretur, aquas tam calidas fuisse ac si media æstas esset; imperitiores eo commento fallentes, qui ignorant aquas in eo tractu hyeme calidiores esse quàm æstate. Alii inunctioni sanitatem adscribunt. Nonnullis Christus conspectus, pædobaptismum prohibuit. Blasphemias horrendas evomunt contra Scripturam, Trinitatem, prædestinationem, virginem Mariam, Apostolos, baptismum, preces, ministerium verbi & sacramentorum, regimen Ecclesiæ. In M S S. cujusdam *Pauli Best*, Trinitas vocatur mysterium Iniquitatis, Cerberus triceps, figmentum, traditio Romana. Alii Sp. S. contumeliosissimè derident, vocantes eum flabile numen. Cætera sileo. Scripturam vocant vitulum aureum, & mendacem librum. Locum *Gen.* 6, 6. ubi Deus pœnituisse dicitur quod hominem fecerit, esse falsum. Cùm objiceretur cuidam locus ad *Rom.* 7. ubi Paulus de peccato conqueritur; respondit Paulum novitium, & hanc ejus infirmitatem fuisse. Paulum non rectè intellexisse mysterium Dei in Christo, & se id meliùs intelligere. Locus *Gal.* 5, 12. cuidam pro libertate conscientiarum pugnanti objectus; qui respondit: Apostolum ibi affectibus suis indulsisse. *In Hartfordia* minister quidam locum Scipturæ opposuit Anabaptistæ. Anabaptista confessus est se non posse respondere, sed hanc fuisse infirmitatem Pauli, & ibi eum caruisse spiritu. *Alius denegans* Resurrectionem mortuorum, cum quidam ei opponeret Scripturam, respondit: *Hoc vobis, non mihi, Scriptura est.* Regimen Presbyterianum vocant Diabolicum, Antichri-

christianum, bestiam in Apocalypsi. Sic & fœdus Nationale nequissimis vocibus exagitant. Curiam Examinationis vocant Inquisitionem Hispanicam & Curiam Supremæ Commissionis. *Hugo Petrus*, famosus ille scurra, Ecclesias Reformatas & Presbyteriales, fœdissimis dicteriis traducit. In publica concione Londini, cùm multa pueriliter & nugatoriè effutiisset, ex voce *classes*, centum quinquaginta asses, CL asses, id est, CL asinos fecit; sicut olim ex nomine Cardinalis CL esel Germani CL esel / asinos, fecerunt. Idem *in concione 2 Aprilis* 1646 ad Parlamentum habita, sic loquitur: Quod gladio cepistis, verbo conservandum est. Loquor de verbo, per quod Angli Christiani fiunt. In aliis regionibus disciplina facit eos tales. Compelle multitudinem in templum, & postea Christianos nomina. Satis abunde hujus furfuris foras. Et hinc fit, quod ferè tota ipsorum Theologia in Polemicis sita est, quæ mercatura, nisi Deus prævertat, & nostra videtur futura. *Idem:* Metuo ne, dum pro Presbyterio vestito authoritate pugnamus, desint nobis V clɔ ministri prædicatores. Ut ita si acquiratis Presbyterium Londini, & multum vobis egisse videamini, nec ministrum nec Presbyterium in dimidio regno habeatis. Verum Presbyterium optari facilius quàm haberi potest.

De causis auctarum hæresium, sectarum, & schismatum in Anglia.

Si quis consideret, in quantam multitudinem, quàm exiguo tempore, hæreses in Anglia, sectæ, schismata cum erroribus & blasphemiis excreverint; is jure mirabitur, ex quibus id causis factum sit. Et illæ quidem satis manifestæ ex ipsorum sectariorum naturâ dari ac ostendi possunt. Quia enim dant vagam quibusvis prædicandi libertatem publicè,

publicè; hinc fit quòd multi ex plebe, quibus aliqua verborum & rerum copia est, in medium procedant, ac (ut loquuntur) dona exerceant, objiciant ac disputent publicè contra ea quæ dicta sint. Tum aucti numero auditorum, & eorum applausu ad famam provecti, credunt se maximos Ecclesiæ Doctores esse; & cum antiquam ac solidam Theologiam nunquam didicerint, quicquid novum, plausibile, fucatum in pulpita protrudunt; & eâdem aviditate ab auditoribus illa hauriuntur. Post hæc libertas conscientiæ & generalis toleratio ab illis sectarum fabris, velut carecta, post quæ lateant, in medium proferuntur. Nihil est quod carni & vanitati humanæ magis arrideat, quàm sibi religionem statuere; sibi Ephod & Sacerdotem comparare. Et favorem ex eo quoque sibi acquirunt nugatores illi, quod stipendia certa & decimas ministris subtrahunt. Ex quo fit, ut qui ministros suos adeò vilipendunt, ut nec quæ pro sustentatione illorum pii Magistratus constituerunt, solvere velint, illi facilè ad novas Religiones transeant. Accedit populare Regimen, quo singulæ congregationes Monarchicum jus, spretis Synodis Classibusque, sibi arrogant. Maximè tamen ipsa doctrina, quam sectarii commenti sunt, eos tanto incremento per universam Angliam auxit. Quando enim populus audit, Deum tam peccantes quàm precantes sanctos amare: Non debere fideles sollicitos esse & anxios ob peccata, nec remissionem eorum petere; quid mirum, si hæc nova & suæ libidini famulantia dogmata orthodoxæ fidei, sanctimoniam & resipiscentiam perpetuam urgenti, præferat? Nam & dum solos visibiles sanctos membra Ecclesiarum faciunt, magni alicujus zeli & eximiæ puritatis speciem præ se ferunt. Jam Chiliasticum illud dogma, de regno Christi in hac terra, facillimè homines ad novas sectas abstrahit, ubi velut ad Sirenum scopulos, dulcedine promissorum, hæ-

rent. Independentes omnes mirifica ſibi imaginantur de illo regno. Quidam initium ejus ad annum 1650 conjiciunt; quo tempore tantam credunt in Anglia felicitatem fore, qualis non ab orbe condito fuerit. Et *ô ſi tunc*, dicebat quidam, *unum tantum diem vivere daretur! Non permutarem conditionem meam cum maximo Monarcha mundi.* Præcipui ipſorum Doctores perſuaſi ſunt jam natum eſſe hominem illum, qui eos felices dies viſurus ſit; & ad ſummum non reſtare xx annos. Cottonus & alii in N. Anglia miniſtri conventu habito, Apocalypſin propterea totam examinarunt, & collatis omnibus Scripturis exiſtimant tempus regni Chriſti in propinquo eſſe. Arbitrantur autem ruinam Antichriſti & Turcarum, converſionem Judęorum, vocationem gentium univerſalem, pręceſſura proximè felices illos dies. Tum omnia regna mundi & Principatus abolitum iri, ac filios Dei rerum potituros ſub unico cœli & terræ Domino Jeſu Chriſto. Exſtat in eam rem liber *Joh. Archeri*, Paſtoris Independentium Arnhemenſis; *de perſonali regno Chriſti in hac terra:* cujus tamen ſententiam non in omnibus cæteri probant. Audiamus illum, qui noviſſimè & doctiſſimè ſcripſit pro hac cauſa, *Thomam Parkerum*, Paſtorem Nuberienſem in Nova Anglia, in Expoſitione viſionum ac prophetiarum Danielis. Probaturus per lapidem illum comminuentem omnia regna, non poſſe intelligi regnum inde uſque ab adventu ejus: Tertio, *inquit*, regnum hoc comminuit omnia alia regna; ſic ut exſtinctis cæteris ſolum reſtet. Jam verò hic ſtatus non eſt exſpectandus ſub regno patientiæ, ſive ante occaſum Antichriſti, cum omnia terræ erunt Domini & Chriſti ejus, *Apoc.* 11. 15, 18. Oſtenſurus per pedes ferreos intelligi Romanum Imperium: Quintò, *inquit*, hoc regnum eſt deſtruendum per regnum ſanctorum in fine temporum, atque ideò non poteſt accipi de alio Imperio, quàm de Romano adhuc

huc continuante ſub Antichriſto. Lapis eſt regnum ſanctorum:& quod ſit regnum conſtituendum in occaſu Antichriſti, probatur his argumentis. 1. Quia deſtruet omnia regna adverſantia in toto mundo;quod non eſt exſpectandum ante occaſum Antichriſti. Idem ſeptimanas ſeptuaginta incipit ſub Papatu,ſive à tempore *Waldi* & anno 1106, ſive à *Wiclefo* & anno 1370. Quod ſi, *inquit*, incipias eas ſeptimanas numerare ab A. C. 1106 & *Waldenſibus*, tum ultima hæc & dolorifica ſeptimana incidit præciſe in A. C. 1643, & medium ſeptimanæ ejus erit anno 1646, à quo tres anni afflictionis cum dimidio ad finem percurrunt, & finiuntur plenè anno 1649. Sed ſi ſeptuaginta ſeptimanæ incipiunt à *Wiclefo*, & anno 1370, tum finis non erit ante A. 1860, id eſt,demum poſt 200 annos. Sed utra ſupputatio ſit amplectenda, fateor, *inquit*, me ignorare. Poſtea: Turcæ ceſſabunt eſſe ſoluti anno 1649, & anno ſequente poteſt caſus ipſorum cum Antichriſto ſequi, ſi prior ſupputatio vera. In inchoativo ſtatu Novæ Jeruſalem Judæi convertentur,juxta prophetiam Rom XI. & erunt extraordinariis donis induti pro dilatione regni C. ſuper univerſum orbem. Sub finem reſpondet *objectioni*,quâ curioſitas illa circa annos reprehenditur *Act.* 1.6,7. *Matth.* 24. 37,42. 1 *Theſſ.* 5. 1,2,3. *Pſal.* 74,9. *Luc.* 12,40. *Marc.* 13,35. *Reſp. ad Act.* 1.6,7. Non licebat ſcire Apoſtolis, vel ulli,qui vivebat eâ ætate: ſed licet illis, qui vivunt ultimâ ætate. *Matth.* 24,37. Impiis occultatur tempus, ſed ſancti intelligent, *Dan.* 12, 10. Sicut Noah ſcivit tempus diluvii, ſed non mundus, *Matth.* 24,37. *Gen.* 6,3.&c. Hæc igitur & ejuſmodi complura dogmata cùm ſub magnificis titulis publicarent, facilè ſimplices homines allecti ſunt. Quicquid enim errorum & hæreſium in Anglia eſt, id omne à ſectariis titulo novi luminis,myſteriorum,evulgatur. Itaq; ſive S. Trinitatem oppugnent, ſive totam in dubium Religio-

 nem

nem vocent; omnia hæc novum lumen ſunt. Multos ſimulatio fefellit. Nam illi Independentes, qui olim ſub Epiſcopis zeloſiſſimi fuerunt contra errores devios ab Orthodoxia, nunc inter tot monſtroſos errores ſilent, ut Burtonus, qui tantùm contra Presbyterianos calet, cætera frigidus. Ex omnibus Independentibus, *inquit Th. Edoardus*, unum tantùm novi, qui ſe ſectariis opponat. His ita perpenſis, facile creditur, quod idem author inquit, corruptiones hodiernas in tantum excedere tempora Epiſcoporum, in quantum Oceanus Britannicus Rhenum.

De Eraſtianis, ſive Colemannianis.

Sicut frequenter fieri ſolet, ut duobus de præda litigantibus tertius eam utrique eripiat; ita etiam Eccleſiis Anglicanis accidit. Nam cum inde Presbyteriani, hinc Independentes, pro ſuo quiſque contenderent regimine; factum eſt ut interea florentiſſimas Eccleſias hæreticorum & ſchiſmaticorum lues devaſtaret; atque inſuper tertia factio utriſque omnia eriperet. Idque ab *Eraſtianis* factum eſt, quam factionem *Politici* excitarunt, ejus ope Regimen, de quo velut Achilleis armis, infenſiſſimo animo certabatur, ſibi ſolis vindicaturi. *De origine* hujus ſectæ antequam agam, operæ pretium erit, paucis ipſum *Eraſtum*, primum conditorem tertiæ hujus factionis quæ nunc Angliam exercet; &, quibus ad errorem illum actus fuerit furiis, contueri. Idque *ex Hiſtoria Eccleſiæ Palatinæ*, quam Cl. Theol. *Henricus Altingius* olim concionavit. Sic igitur ille inquit: Circa A. C. 1565 nata eſt Heidelbergæ controverſia de gubernatione Eccleſiæ, inprimis verò de Excommunicatione. Cum enim ejus uſus adhuc omiſſus eſſet, *C. Olevianus* perpetuo urgebat, ut ad exemplar Eccleſiæ Genevenſis diſciplina quoque inſtitueretur. Reſiſtebant huic conatui

tui inprimis *Christophorus Probus* Cancellarius, *Thomas Erastus* Medicus & Senator Ecclesiasticus, & *Adamus Neuserus* Pastor ad D. Petri, qui totam hanc gubernandi rationem ut tyrannicam improbabant: Inprimis *Erastum* eo consilio ductum putant, quod cum Helvetius esset, nihil ab Helvetiis diversi in Palatinatum introducendum putarit. His initiis paulatim animi alienati. Interea Heidelbergam venit *Guilh. Witherus* Anglus, gradum Theologiæ petens; & in Thesibus suis XI ac XII de Disciplina Ecclesiastica egit. De his 10 *Junii* placidè disputatum est. Cum solveretur conventus, *Erastus & Neuserus* se gravia contra illam materiam habere dixerunt. In eorum gratiam Disputatio 12 *Junii* à *P. Boquino* repetita. Disputatum est acriter, absque tamen convicio. Cumque discedendum esset, *Neuserus* dixit: *Se doctrinam hanc oppugnasse tanquam falsam, & verbo Dei repugnantem*. Tum Erastus & Neuserus magis magisque se aperuerunt, & controversiam hanc ubique scripto ac voce propugnarunt. Inprimis *Erastus* prolixè contra disciplinam scripsit, asserens *eam nec in V. nec in N. T. fundatam; adeóque neminem Ecclesiâ excludendum, nisi constet eum in doctrina errare fundamentaliter*. Apud exteros quoque conquestus est disciplinam tyrannicam in Eccles. invehi. Mox detectum fuit *Neuserum* Arianismo & Turcismo obstetricatum, ac cum aliis ipse *Erastus* suspectabatur: qui propterea per annos complures sacrâ communione fuit abstentus; donec editâ confessione ostenderet, se tantum controversiæ disciplinariæ implicatum fuisse; & ita Ecclesiæ Dei reconciliatus fuit anno 1566; & anno 1570 institutum est Presbyterium virorum gravium ex aula, Academia & urbe, qui præessent Inspectioni Ecclesiæ & disciplinam moderarentur. Hæc ille.

Cum igitur contentiones tam acres essent inter duas priores factiones *Independentium & Presbyterianorum*, tertia

à Politicis excitata fuit ambiguo consilio. Quidam *Colemannus*, Pastor Londinensis, videns paratos novaturientibus sectatores, & instinctu Politicorum, tertiam viam regiminis Ecclesiastici aperuit, ex Erasti lacunis haustam. Is vanâ prurigine motus, sparsit in concione ad Parlamentum habitâ, prima semina Erastianismi, & regimen Ecclesiæ Magistratui dedit, qui per *Interimisticos Commissarios* Ecclesiam gubernaret. Religiosissimos quoque Scotorum delegatos eâ calumniâ adspersit, quod causa sint dissidiorum in synodo, & Nationalem determinationem secum attulerint. Ex horum numero se ipsi opposuit *G. Gillespy*, Minister Edinburgensis, cujus contra Colemanni maledicas ineptias eruditæ exstant dissertationes, quibus omnem Erastiani commenti iniquitatem aperuit. Post eum celeberrimus *Samuel Rutherfordius* ex professo Erastianismum, & quicquid pro eo tum ipse Erastus, tum Colemannus & alii, in Anglia attulerunt, refutàvit. Mysterium sectæ hujus est, quod omne regimen Ecclesiæ ad Magistratus civile arbitrium defert; & Ecclesiam in miserrimum servitutis genus conjicit. Cæterùm quanquam & synodus & pii quique in Anglia se huic intemperici opponerent, tamen Politicorum consilia prævaluerunt; & Erastianum Ecclesiæ regimen stabilitum, quod Commissarii Politici, genus hominum Ecclesiis semper infestissimum & inutile, exercerent. Qui exinde motus animorum secuti sint, & suprà dictum est, & Anglia sensit. Nec evulgata Declaratio quicquam profuit, sed acriùs omnino animos offendit. Independentes in sinu gaudebant, quasi exarmatis illo decreto Presbyteriis, in salvo omnia essent; cum tamen ipsorum quoque Independens regimen, illo decreto, manifestè sublatum esset.

De Orthodoxis in Anglia & Scotia.

Utcunque verò ſchiſmatici & hæretici totum regnum Angliæ infecerint erroribus ſuis: tamen longè maxima pars perdurat in Orthodoxia. Pietas inde uſque poſt ſublatam Prælatorum tyrannidem in immenſum crevit. Miſeriæ publicæ precum ardorem auxerunt. Nihil Eccleſiis illis ſanctius. Et ibi demum ſincerè Deus colitur. Tum & deſiderium unionis ſub eodem regimine contra ſchiſmaticorum molitiones auctum eſt. Civitas Londinenſis, quanquam ingenti ſectariorum multitudine oppreſſa, tamen firmiter adhæret federi & declarationibus Parlamenti de reformanda Eccleſia. Duo inprimis vincula ſunt, quæ ſchiſmatici omnibus modis conantur diſſolvere, & vel gladio ſecare, ſi fraudibus non poſſint. *Primum vinculum* eſt inter tria regna ſolenni federe unita. Quid non moliti ſunt, ut inter Anglos & Scotos animorum diviſionem facerent? quas non calumnias conquiſiverunt? *Alterum* eſt inter civitatem Londinenſem, Parlamentum ac Synodum. Heic Schiſmatici Tyria maria commovent. Si Civitas vel Synodus libellum ſupplicem pro maturando regimine Eccl. exhibeat, omnibus criminationibus hoc pium propoſitum retardant. Et quare tandem? Quia ferre non poſſunt pios homines os ſuum aperire contra horribilem licentiam ſchiſmaticorum, quia ſeducunt innumeros, Eccleſias contra Eccleſias erigunt, blaſphemias evomunt, delira commenta ſomniant, & hæc omnia ſub titulo regni Chriſti: cum revera fundamenta ponant Turris Babylonicæ, & contignationes fanaticorum, Anabaptiſtarum, Antinomorum, Quærentium, ſuperſtruant. Conduxerunt homines ineptos qui nova quotidiana conſcribillant, ſartores, ſutores, & ejus farinæ impudentes nugatores. Hi ebuccinant Independentiſmum, pios Presbyterianos exagitant,

ac

ac ne summæ quidem Londinensi Curiæ parcunt: Et hi sunt censores Synodi, Ampliss. Senatus Londin. si Parlamentum de imminente periculo moneant. Dici non potest, quàm petulanter solemne fedus, in quod omnes coram Deo jurarunt, exagitent. Præsertim verò illa verba: Laborabimus reformare Ecclesiam, juxta Verbum Dei, & exempla optimè reformatarum Ecclesiarum; ferre non possunt. Quid ad ipsos exempla optimè reformatarum Ecclesiarum? Sicut autem Presbyteriani in Ecclesia ordinem conservari volunt & vindicari à rabie Brownistarum & Independentium: sic etiam in regno Leges, Regem & Parlamenta conservari volunt. Contra schismatici & fanatici Enthusiastæ in eo ponunt summum fastigium Euangelici zeli, si excelsissimos Reipubl. viros sub pedibus confusæ Anarchiæ conculcent: ut Rev. vir Joh. Ley loquitur, in nupero scripto contra Saltmarshium, hominem Sociniano-Anabaptistam, qui Anabaptistas & omnibus pejores Quærentes sanctorum titulo ornare audet, & qui rabiosam linguam, quâ olim titulo *Mercurii Britannici* in Regem scurriliter invectus fuit, nunc totam in orthodoxos convertit, ac Regimen Ecclesiæ differri cupit in longos annos. Quod hactenus omissum, sicut omnium malorum causa fuit; sic haudquaquam dubitari debet, quin constitutum secutura sit Reformatio Ecclesiarum Anglicanarum tam eximia, pia, celebris, qualis non est nec fuit unquam in aliis orbis partibus. Quæ illa dies erit, tam exspectata piis, tam formidanda impiis, tam exitiosa Romæ, cum sincera, constans & gregi orthodoxo ac puro salutaris atque accepta pax Angliam beabit, in quo semotis omnibus quisquiliis, doctrinæ veritatem incorruptam audiat, cultum immaculatum videat, disciplinæ dexteritatem sentiat, membrorumque suorum pietatem experiatur! Jam centesimus annus agitur, ex quo Anglia primum reformari

cœpit

cœpit ſub altero illo Joſia *Edoardo* VI. Medio temporis quæ non perſecutiones, funera, clades? Quàm Religio ab Epiſcopis oppreſſa? à Papiſtis ſubverſa? Donec hiſce annis, Deus fundamenta quaſi Angliæ concuteret; & quicquid reſtabat vel reſtitutum fuerat Papiſmi, exſtirparet. Tum crux illa Londinenſis, dedecus Anglorum, everſa. Tum imagines, picturæ, altaria, ceciderunt. Jucundum erit intelligere, quàm ſolemnes exſequiæ duabus crucibus Nordovicenſibus habitæ fuerint. Idque referam tantâ fide, quanto decore cuncta peracta fuerunt. Utramque crucem quatuor viri, pullo amictu, humeris velut cadaver bajulabant, duobus præeuntibus, qui induti ſuper pelliciis, Miſſale manu ruſpabantur; ſuſpenſis de naribus perſpicillis. Sic inter cantus, longo ordine in forum per armatas militum ſeries ventum. Ibi ſinguli onus ſuum, cum aliis ſuperſtitionum inſtrumentis, in ignem conjecerunt, plaudente populo.

De Eccleſiis Scoticis.

Eccleſiæ Scoticæ ſub regimine Presbyteriali excelſiſſimè florent. Nulla Eccleſia totius mundi magis libera eſt à ſectariis & ſchiſmaticis, quàm illa; & hoc beneficio Presbyterii, Claſſium, Synodorum. Independentes & Eraſtiani calumniis contra eas graſſantur. *Coleman Eraſtianus* illam mendacem calumniam protulit, quod Presbyterium Edinburgenum mulierem quandam proſcripſerit. Cui reſpondens *Gilleſpius*: Eſt (*inquit*) calumnia, mitiſſimè loquendo, nihil charitatis in ſe habens. Non eſt proſcriptio in Scotia niſi per civilem Magiſtratum, qui eatenus opem fert regimini Eccleſiæ. *Eſt & alia calumnia* contra eas Eccleſias; quod ſint rigidæ & omnes in ſua verba, mores, conſuetudinem adigere velint, ipſæ nemini concedentes quicquam. Cui calumniæ reſpondens *Ley ſect.* 19. *contra Saltmarſhium*: Ec-

Q   cleſiæ

clesiæ Scoticæ (*inquit*) semper etiam erga dissentientes fratres humaniter & Christianè se gesserunt; & orbi notam fecerunt spem suam, desideria & labores pro pace cum omnibus religiosis & fidelibus pastoribus Ecclesiæ Anglicanæ. Et cùm Coleman diceret, Commissarios Scoticos ad Synodum Westmonasteriensem venisse, non animo disputandi & veritatem exquirendi, sed ut judices & sententiam laturos contra omnes dissentientes (sic enim & exteros Theologos Dordracum venisse) Gillespius, vindicatâ obiter Synodo Dordracenâ ab hac Arminiana criminatione: Se non tantùm missos (*dicit*) ut discant, verùm & Scoticanas Ecclesias, si quid melius ex verbo Dei edoceantur, id libentissimè recepturas. Et hujus (*inquit*) experimentum nuper dederunt, cùm Synodus Nationalis in Scotia quosdam particulares ritus ejus Ecclesiæ seponendos censuit, pro arctiori uniformitate cum Ecclesia Anglicana. *Tertia* calumnia contra Scotos est, quod promiscuè quosvis etiam rudes & scandalosos ad sacram Cœnam admittant. Et hæc objectio Independentibus perpetuo in ore est, quam etiam Coleman Erastianus repetiit. Cui sic respondet *Gillespi* in suo *Nihil Respondes*: Ausim dicere multa millia à Cœna arceri apud Scotos, tanquam homines indignos qui admittantur. Ubi ego minister fui, aliquot Centuriæ rudium & scandalosorum abstentæ sunt. Ordo Ecclesiæ Scoticæ & Acta Nationalium Synodorum excludunt omnes scandalosos; atque hoc fit à piis ministris. Si negligant quidam Archippi, rationem illi reddent. Et cum Coleman in suo Maledicis regereret: Hanc expurgationem Ecclesiarum recentem esse, & vix unius anni ætatem habere, subjungit idem doctissimus vir: Imò, inquit, & regula & praxis in Ecclesia Scotica fuit, excludendi rudes & scandalosos à Sacramento, antequam natus esses, quanquam sub prælatis omnia in desuetudinem abierint.

De

De Scotico regimine Presbyterorum & Anglico ſub Prælatis, exſtant verſus apud *Laitonum*, quos arbitror *And. Melvini* eſſe:

Scotos luſtra decem rexit ſacer ordo Senatus,
Abſque notâ hæreſeos, ſchiſmatis abſque notâ:
Et detecta feræ exterſit veſtigia diræ,
Cui nomen triplex ſenio dinumerat.
Anglia Præſulibus recta eſt ſeptennia ſeptem,
Hæreſibuſque frequens, ſchiſmatibuſque frequens.
Atque impreſſa feræ ſervat veſtigia diræ,
Cui nomen triplex ſenio dinumerat.
Et dubitamus adhuc ſacrum auctorare ſenatum,
Exauctorato Præſulis imperio?

In Præfatione ad Syntagma confeſſionum edit. Genev. 1612: Eſt Eccleſiæ Scoticanæ privilegium rarum præ multis, in quo ejus nomen apud cæteras fuit celebre, quod circiter annos plus minus LIV ſine ſchiſmate, nedum hæreſi, unitatem cum puritate doctrinæ retinuerit.

In Synodo Carentonenſi Gallica CIↃ IↃC XLIV, 26. *Decembris* hoc decretum contra Independentes conditum fuit: Quoniam delegati maritimarum Provinciarum retulerunt, multos exteros nomine Independentium, in hoc regno verſari, qui docent quamlibet particularem congregationem ſuis legibus gubernandam, ſine dependentia ab ullis aliis in Eccleſiaſticis rebus, repudiatâ authoritate ſynodorum, claſſium, colloquiorum, magno in futurum periculo, niſi obviam eatur. Synodus metuens ex contagione hujus veneni turbas & confuſionem, judicat eam ſectam Independentium eſſe noxiam Eccleſiæ Dei, eouſque ut introducat confuſionem, ſingularitatibus & extravagantiis feneſtram aperiat, ſublato omni remedio; eamque eſſe Statui periculoſam, quod ſic Religiones pro numero

parochiarum multiplicari queant; omnibus Provinciis maximè maritimis mandat, videant ne illud malum in hoc regno radices figat, sed ut pax & uniformitas in Religione & disciplina inviolata conservetur, neve quicquam irrepat servitio Regis adversarium. *Garrisole Moderator, Basnage Adjunctus, &c.*

De Cretensi Johanne Goodwin.

Contra *Gangrænam Thomæ Edoardi* quidam Joh. Goodwin Cretensem opposuit, ipse Cretensium mendacissimus, quem omnes norunt solis calumniis & maledicendo nobilem, qui Presbyterianos & sanctum illud regimen nusquam non scurriliter exagitat. Pauca introspiciamus. *In frontispicio vocat* se fautorem sanctorum. Ubi; ut & in toto opere,per sanctos intelligit Schismaticos suos, & Brownistas. Enimvero mirum cui videri possit, cum Edoardus inter alios errores Anabaptistarum, Antinomorum, Arianorum recenseat, qui haud dubiè Independentes sunt, & se tales profitentur; calumniatorem tamen illos omnes, nullâ distinctione factâ, sanctorum titulo includere, & nihil aliud possim crepare, quàm *Classicos, Proselytos, classicam factionem, Prudentiales.* Et vide jactantiam hominis stolidam! Independentia, *inquit*, caput suum extulit supra Presbyterium: *Quantum lenta solent inter viburna cupressi; ut cedrus Libani supra carduos.* Tum ille Theomachus iterum contrà pios flavam bilem evomit, cùm Presbyterianos Episcopis comparat, & hos tantùm θεομαχεῖν nugatur. Enimverò lamentabilis res est, quenquam Christianum adeò projectæ impietatis esse, ut illa horrenda, quorum catalogum Edoardus pio domus Dei zelo compilavit, pro leviculis habeat; & ipsa ad id Apocalypsi abutatur, ac pro CLXXX hæresibus myriadas sibi exoptet. Nec vanissimus homo se conti-

continere potuit, quin omnes omninò Ecclesias orthodoxas calcaret fastu suo: Adeò, *inquit*, versatus sum in controversia de Imputatione fidei & Christi activa obedientia in justificatione, ut heic provocem omnes ordine Presbyterianos, sive in Synodo congregatos vel sigillatim, in Anglia, Scotia, Francia, Hibernia, si probare possint ex Scritura, per rationes & argumenta, vel fidem non imputari propriè, vel activam obedientiam Christi, formaliter spectatam, imputari ad justificationem. *Hæc Thraso Cretensis.* Mille calumniarum formas sibi Morpheus ille assumit. Tandem Presbyterianos Jesuitis assimilat, furiosâ mentiendi cupidine. Cætera ipsum Edoardum spectant, & tria exempla negat vera esse; id quod de Cozeno Rocestriensi, Nicolao, & disputatione Calamii cum Anabaptistis refertur; quæ authori vindicanda relinquimus.

Synodus Nationalis Reformati orbis, unicum componendæ Angliæ remedium.

MUlti sapientes, rerumque Ecclesiasticarum gnari viri, in ea opinione sunt, finem controversiis, quæ Angliam exagitant, nunquam impositum iri, nisi vocatâ ex transmarinis quoque regionibus Nationali Synodo. Idque inprimis Belgarum exemplo illustrant atque confirmant. Nam parem ferè, Independentium & Arminianorum, rationem esse. Utrosque cavillationibus suis, & tergiversatione, Ecclesiam pariter ac Rempublicam pessundare, nisi Senatus Theologorum Reformati orbis, eos ad modestiam & ordinem, salubribus consiliis, & si opus, censuris, revocet. Neque negari po-

teſt, Belgium ſalutem ſuam, ac quæ ſecuta eſt, florentem hoſtibuſque formidatam potentiam, ſecundùm Deum, Synodo Dordracenæ debere. Et magna ſpes eſt, Parlamentum omnibus aliis fruſtra tentatis, tandem huic remedio, quod reſtat, aſſenſurum. Nam de Regis quidem voluntate, nemini dubium eſt, qui multoties, ſedandis Eccleſiæ turbis, Synodi Nationalis mentionem injecit. Quæ niſi maturè convocetur, verendum eſt, omnia in deterius & ſectas lapſura. Quantum indies licentiæ ſibi turbones illi aſſumant, nemo abſque horrore cogitare poteſt. Veluti quod nuperrimè ſacrilegium, in fortiſſimi Herois Eſſexii tumulo, admiſerunt. Adeò ne illis quidem parcunt, qui vindices Religionis & libertatis maximi fuerunt; ſed agere, raptare, cuncta pro lubitu, mente limfata, manu ſacrilegâ, ſectariorum Anglorum eſt. Deus miſereatur populi ſui, & omnes motus, quia humanitus deſperata remedia ſunt, ipſe componat!

FINIS.



IN-

INDEX
RERUM
MEMORABILIUM.

R *An-*

Mer-

FINIS INDICIS.

Typographus Lectori salutem.

Propter Authoris absentiam, cujus insuper manus haud satis familiariter cognita nec emendatè descripta fuit, errata hinc inde irrepserunt. Graviora sic emendanda sunt.

*Pag.*2. *lin.* 27. *lege : Sub altero genere contineantur.* 5. 13. *diligentes.* 6. 24. *decori.* 7. 21. *nil.* 10. 4. *VValsinghamus.* 11. 23. *Tum.* 12. 21. 12. 17. 18. *contra.* 22. 17. *spenderet.* 32. 4. *destruere.* 42. 11. *Scyllam.* 43. 13. *Qui.* 45. 12. *magnus.* 46. 22. *haresi.* 49. 15. *domum.* 50. 14. *rnituri.* 52. 9. *Scylla.* 59. 19. *Seekers.* 62. 25. *tandem.* 63. *accepit.* 67. 1. *abdicarent.* 68. 22. *Presbyterio.* 73. 15. *Amstelodamenses.* 87. 10. *dele, non,.* 88. 11. *continuum.* 89. 3. *Christhood.* 91. 1. *ab.* 93. 18. *Apostolicos.* 99. 14. *VVandring.* 100. 21. *deleturos.* 101. 19. *perfumatam.* 103. 26. *Katharina. lin.* 27. *conveniunt.* 116. 26. *concinnavit.* 119. 24. *qui.* 120. 29. *in qua.*

Quæ in præfatione sunt errata, propter pagellarum omissos numeros, notari non potuerunt. Ideo & illa, & si quæ fortean alia occurrunt, quæ ut levia, & in tanta festinatione non observata fuêre, Lectoris curæ commendata sunto.



